



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Subsectio quinta.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

turgus moriens interrogabat, quos adhuc infideles essent in urbe Cæsarea, cumque tantum septendecim superesse intelligeret, reposuit Deo gratias agens, *totidem erant fideles, cum cepi Episcopatum.* Postquam de Sacerdotibus & Episcopis ea allata sunt, quæ pietatem fovere, salubria documenta ingerere, & mentem in Deum elevare possunt. Non abs re erit in hunc finem, ut eò magis in sancta religione nostra confortemur, aliqua quoque hoc in genere controversa cum Hæreticis percurrere de constitutis à Deo ad regimen Ecclesiæ & Ecclesiastica munia Sacerdotibus, Episcopis, & summo omnium Pastore Pontifice Romano, Et hinc ad hoc servit

### Subsectio quinta.

*1mò.*

#### *De vocatione Ministrorum Ecclesiæ.*

Sicut in republica politica nemini fas est usurpare functiones publicæ potestatis, nisi legitimâ autoritate ad hujusmodi officium ritè deputatus sit: ita nemo usurpare regimen Ecclesiæ & exercere debet functiones Ecclesiasticæ potestatis, ut prædicare verbum Dei, administrare Sacramenta, sacrificare, &c. nisi legitimâ autoritate ad hæc munia vocatus. *Nec enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebr. 5. & ad Rom. 10.

*Quo.*

*Quomodo praxicabunt, nisi mittantur; & vocentur à Deo vel immediatè modo extraordinario, ut Prophetæ Moyfes Apostoli, vel mediatè & modo ordinario, scilicet mediante consensu & cooperatione eorum; quibus Deus commisit potestatem vocandi, ut commisit Petro ejusque successoribus in regiminæ Ecclesiæ. Non est autem potestas vocandi tali modo Ministros Ecclesiæ penes Magistratum politicum, vel totum populum nequidem partialiter. Quia Christus dicit Joan. 20. Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Atqui ipse misit & vocavit ministros nempe Apostolos & 72. Discipulos sine suffragio aut consensu Magistratûs politici, aut totius populi, ergo, Et quotiescunque in novo testamento fit mentio impositionis manuum. Per quam ministri vocabantur, & ordinabantur Præsbyteri, eam à solis Apostolis & Episcopis factam esse constat. V. Act. 6. & 14. 2. Tim. 1. v. 6. Imò Apostoli constituerunt Episcopos pro populis convertendis, ad quos mittebant eos, populorum autem consensus non requirebatur, & ratio in promptu est, quia ratione potestatis in populo residentis potest eligi Magistratus sæcularis. Deus autem elevans hominem ad felicitatem spirituales & supernaturales potestatem clavium dedit non populo, sed Petro in suis successoribus. Et hæc fuit perpetua traditio & praxis Ecclesiæ. Nec fuit unquam agnitus Episcopus vel Præsbyter non consecratus ab Episcopo. Est autem discrimen faciendum inter electionem & vocationem. Electio est tantum*

designatio personæ, & hoc à Magistratu Ecclesiastico sæpè gratuitò concessum fuit populo, ut in electione Matthiæ videmus Act. 1. & Stephani Act. 6. & sic etiam hodie primatibus vel populo conceditur jus præsentandi, uti vocamus. *Vocatio* tribuit jurisdictionem spiritua-lem, & re ipsâ facit pastorem. Cùm autem nemo det, quod non habet, nec Magister politicus aut populus potestatem spiritua-lem conficiendi habeat Eucharistiam, absolvendi à peccatis &c. cùm eam à Christo nullibi acceperit, etiam re ipsâ vocare, Sacerdotes consecrare non potest. Sed Petrus tantùm cæteri-que Apostoli & eorum Successores; qui eam à Christo potestatem accepere. Et quomodo Lutherus (idem est de Calvino, Zyvinglio, aliis-que) fuit legitimè vocatus ad reformandam Ecclesiam in doctrina fidei, & aliter docendum, quàm docuit Ecclesia? à qua & in qua fuit ordinatus Presbyter, & contra quam portæ inferi Matth. 16. ob Christi usque ad consummationem sæculi Matth. ult. & Spiritus S. Joan. 16. assistentiam prævalere non possunt. Nil unus hæresiarcha pro sua vocatione ad reformandam Ecclesiam adferre potest, quod non etiam alius, v. g. quòd in necessitate, dum Ecclesia erroribus corrupta esse putatur, ei succurrendum sit. Hoc argumento omnes hæresiarchæ usi sunt. Sed prius ad inveniendam fidem probare debuissent se infallibiles esse, & nec decipi nec decipere. Maximè dum assurgunt contra cõmunem ab Ecclesia concilijs SS. Patribus rece-

ptati de sæculo in sæculum doctrinam. jam ad Lutherum v. g. redeundo ille nec fuit immediate vocatus à Deo ut Apostoli, Moyfes, Prophetæ; quia hoc vitæ ejus sanctitas & miracula debuissent orbi manifestare. Nec mediatè, quia nec à Magistratu politico, ut jam dictum, vocari potuit, nec ab Ecclesiastico vocatus est ad docendum aliter, quàm ipse Eccles. Magistratus docuit, neque profuit doctoratus ipsi Theologicus, cui tamen omnia tribuit Tom. 2. Wittgerm, fol. 21. ità scribens: *Dixi sæpè & iterum dico eorum mundum me non accepturum pro Doctoratu meo, quia aliàs desperare deberem, si tale ac tantum incumbens mihi negotium sicut fur irrepens absque vocatione & mandato Dei cepissem.* Miserum & cachinnis mille dignum solatium, in collatione Doctoratûs non fuit ipsi data potestas docendi quidlibet pro libitu; sed exigitur juramentum obligans ad nil docendum Ecclesiæ, in qua Doctoratus confertur, contrarium. Et quid? si alius quoque creatus Doctor doctrinam ipsi è diametro oppositam doceat? ô miser homo! sanctitatem tuam non fuisti ausus allegare, quia parcus & scurra eras, ut discursus tui mensales apertè docent. Miracula non audebas vendere; quia Diabolus, quem expellere voluisti, in angustias te redegit. Et jam Doctoratus sive impositio byreti & epomidis pro scuto servire debet. Demum adhuc unum Luthere, Calvine, Zyvinglie, Bucere, &c. Vel ante vestram prætensam reformationem Ecclesia habuit suam formam essentiali-

lem vel non? si non, ergo nulla vera extabat Ecclesia (quod est apertè contra Christum dicentem eam perseveraturam usque ad consummationem sæculi, si autem Ecclesia suam formam essentialem adhuc habuit, cur vobis satis non fuit reformare, aut ad rectam formam reducere abusus accidentarios, sive particularium hominum vitia, superstitiones? cur loco illius tot impia dogmata de Deo autore peccati, de præceptis servatu impossibilibus, de castitate non servanda, matrimonio dissolvendo, ancilla, si uxor non velit, usurpanda, de sola fide non autem bonis operibus requisitis, &c. induxistis, & libertatem homini abjudicastis? si Catholici, quos deseruistis, non fuerunt in vera fide, ergo fuerunt Hæretici, ergo ab Hæreticis accepistis verbum Dei; & quomodo id verum esse verbum Dei scire potestis? & quomodo tu Luthere per doctoratum tuum te accepisse vocationem veram audes asserere? quia cum à Catholicis acceperis doctoratum, si hi Hæretici erant, vocationem pariter tuam accepisti ab Hæreticis; ergo ea non fuit legitima. Si autem Catholici fuerint in vera fide, dum vestram incepistis doctrinam spargere, ergo ei contra-ria docendo sparsistis hæreses.

Quòd si jam autores hæresum Lutherus, Calvinus, &c. non fuerunt legitimè vocati, ergo multò minùs ab iis constituti prædicatii, eorumque successores sunt legitimè vocati Ecclesiæ Ministri, multò minùs veri Sacerdotes, quia populus vel politicus Magistratus ut jam dictum non

habet

habet potestatem consecrandi Sacerdotes. Nec etiam Ministerium eorum Ecclesiasticum, quia istam potestatem nec habet à se, nec immediatè accepit à Christo, cùm nec Lutherus, nec Calvinus eam à Christo immediatè habeat ut supra ostensum, nec mediatè mediantibus scilicet Apostolis & Episcopis continuâ serie descendentibus à D. Petro. Cui soli in successoribus datæ sunt *claves regni calorum* universales, & munus spirituale *pascendi & regendi* omnes fideles commissum est. Ubi enim non datur continua Episcoporum potestatem vocandi & ordinandi habentium successio, sed interruptio, ibi nulla habetur potestatis derivatio & mediata communicatio ut per se patet. Atque apud Lutheranos [ idem dic de aliis ] nulla datur talis successio continua Episcoporum, sed hæc fuit in & à Luthero interrupta. Qui, quia nunquam fuit Episcopus à legitimâ potestate ab Apostolis acceptâ ordinatus, nunquam legitimè vocare & ordinare alios potuit. Ergo nullus Prædicatus est legitimè vocatus Ecclesiæ Minister, aut legitimè ordinatus Sacerdos. Et vel modus vocandi & ordinandi, quem Catholici ante & sub tempora Lutheri tenuerunt, fuit legitimus vel non. Si fuit legitimus; ergo modus vocandi & ordinandi apud Lutheranos non est legitimus, quia est illi oppositus. Si non fuit legitimus, tunc tota Ecclesia ante Lutherum per multa imò omnia sæcula non habuit veros Ministros, veros Sacerdotes, consequenter nec vera Sacramenta *pœnitentiæ, Eucharistiæ, &c.* sine

quibus vera Christi Ecclesia consistere non potest. Ergo ab initio quoque Christianitatis non fuit vera Ecclesia; quia idem tunc, qui modo, in Catholica Ecclesia modus fuit consecrandi Sacerdotes per Episcopos, &c. manet ergo in contestum, non esse apud Lutheranos aliosque Sectarios Sacerdotem verum, qui validè à peccatis absolvere, Eucharistiam conficere possit; nisi fortè Apostatam aliquem Catholicum Sacerdotem. Qui tamen utpote non Episcopus alios Sacerdotes consecrare non potest. Hinc Lutheranis idem objici potest, quod Hier. olim Dial. contra Luciferianos accidisse scribit Hilario Diacono Apostata. *Qui neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & Prasbyteros non habens, &c. quia post se nullum Clericum Diaconum potuit ordinare, Ecclesia autem non est, qua non habet Sacerdotes.*

*2do. De Sacerdotibus & Episcopis eorumque distinctione.*

**S**ectarii aliqui dicunt omnes Christianos esse Sacerdotes juxta illud 1. Petr. 2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.* Et illud Apoc. 1. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo Patri suo.* Sed respondit jam dudum August. 1. 20. de Civit. Dei c. 10. *Episcopi & Prasbyteri propriè vocantur in Ecclesia Sacerdotes. Sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis, de quibus Apost. dixit:*



dixit : *plebs sancta regale Sacerdotium*. Sicut etiam omnes Christiani non sunt proprie Reges nec verè Sancti. Nec tales nascuntur, licet vocentur à Petro *regale Sacerdotium & gens sancta*. Dum l. 2. Reg. c. 8. v. 18. Filii David dicuntur fuisse Sacerdotes; Septuaginta vertunt *Aularcha vel Aula Principes*, & ut i. Paral. 18. explicatur, *primi ad manum Regis*, & sic, licet *ro coben* hebraicè ferè semper Sacerdotem propriè dictum significet, ut Gen. 14. v. 18. & alibi. Subin tamen v. g. bis, ter ad summum usurpatur in Script. pro *Magnate* per catechesin, quia is apud Regem in tali ferè auctoritate & ministerio est, quali Sacerdos apud Deum. Sicut autem Sacerdotes propriè dicti in lege scripta fuerunt distincti à Laicis, ita multò magis in lege gratiæ. Quòd autem ad Gal. 3. dicatur : *In Christo IESU non est masculus & femina*. Inde insulsè Sycophanta quidam infert, etiam fœminas posse esse Sacerdotes, quia per hoc, ut ex contextu patet, plus nihil voluit dicere Apostolus, quàm quòd non sit personarum acceptio apud Deum, sed omnes salvare velit, sive vir sit, sive fœmina, sive Græcus, sive Judæus. Cæterum Apostolus ipse ordinavit Præbyteros, & à cæteris Christianis distinxit. Sicut Act. 14. & 1. Tim. 5. constituit per singulas Ecclesias Præbyteros. Ubi nota textum hunc in Bibliis Genevæ impressis Anno 1564. & 1605. ità versum esse. *Postquam consensu congregationum constituerent Seniores per omnes Ecclesias. TO consensu congregationum additum*

ditum est, ut derivaretur potestas in Laicos constituendi Præsbyteros. Ecce Hæretici semper provocant ad purum verbum Dei scriptum, & dum advertunt id esse suis placitis omninò contrarium, id corrumpunt addendo, mutilando, & sic ipsi ex verbo Dei verè faciunt verbum hominum, & quidem hominum insurgentium contra universalem Ecclesiam & doctrinam à primis Christianorum temporibus usque ad nos propagatam. Et quid juvat corruptio hujus vel illius textûs ô miseri? 1. Cor. 12. & Ephes. 4. clarè iterum distinguit Paulus Apostolos, Pastores, &c. à cæteris fidelibus, & Christus non omnibus, sed solùm Apostolis eorumque Successoribus dedit potestatem sacrificandi, remittendi peccata, &c. quia ad hos solos dixit: *Quorum remiseritis peccata*, Joan. 20. & hoc est conforme perpetuo Ecclesiæ usui, omnique sanæ rationi. Sicut enim in omni ordinata republica politica est distinctio graduum ac dignitatum, nec omnes sunt Judices Prætores, ita vel maximè in hierarchia Ecclesiastica distinctio debet esse graduum, quam ex congruentia rationis ipsi usque adeo Ethnici habuerunt in sacrificiis suis, sicut & Judæi ex ordinatione divinam habuerunt summum Pontificem & cæteros subordinatos Sacerdotes & Levitas.

Porro in Ecclesia Catholica Episcopi simplicibus Sacerdotibus superiores sunt jure divino tam *potestate ordinis* quàm *jurisdictionis*. Nam Act. 1. ex numero discipulorum solenni quâdam cæremoniâ assumptus est S. Matthias loco

Judæ

Judæ proditoris, & ibi Petrus citat ex Script. veteri celebre illud: *Episcopatum eius accipias alter.* Ergo judicabant Apostoli à Christo edocti Episcopos esse superiores simplicibus Sacerdotibus potestate ordinis, & Apostolis succedere Episcopos in potestate ordinis & dignitate, quin & jurisdictione. Sacerdotes autem simplices succedere cæteris discipulis, qui fuerunt primitiæ Sacerdotum. Jurisdictionem Episcopi in Sacerdotes clarè stabilit Paulus 1. Tim. 5. dicens: *Adversus Præsbyteros accusationem non recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ubi & modus, quem in judicando præsbytero Episcopus servare debet, præscribitur; & Episcopus ejus judex esse consequenter declaratur, adeoque major jurisdictione, & hoc jure divino. Sic Apoc. 1. & 2. per illos septem Ecclesiarum Angelos intelliguntur illi, qui cum potestate præerant septem Ecclesiis tanquam capita, sive Episcopi. Nec ullus ante Aerium, quem dolor repulsæ ab affectato Episcopatu præcipitem egit, sustinuit, Episcopum non differre à præsbytero. Propterea inter Hæreticos numeratus est à S. Augustino de hæresi cap. 53. Verum est, quòd Episcopi & Præsbyteri sint æquales in ordine ad certa ministeria præcipuè consecrandi & offerendi sacrificium in Altari; non autem in potestate ordinis & jurisdictionis, ut modò ex S. Script. vidimus. Et hinc omnis Episcopus est Præsbyter, sed non vice versâ, & hoc sensu verum est illud Hier. in Ep. ad Titum. *Idem Præsbyter qui Episcopus.* Quanquam fundata

data sit suspicio, cum textus hic non inveniat in purioribus editionibus Romanâ & Coloniensi, sed in Basiliensi, corruptum hic sicut & in aliis fuisse Hieron. ab Erasmo Rotterod. Lutherizante. Cæterum Hieron. in Epist. ad Evagr. clarè præbyterum ab Episcopo distinguens dicit: *Quid facit Episcopus exceptâ ordinatione, quod non etiam facit præbyter.* Dein Episcopum Sacerdotes & Diaconos eo loco esse ait, quo olim fuerunt Aaron filii ejus & Levitæ, quos jure divino inæquales fuisse ex Scriptis novimus. Ipsi Lutherani faciunt etiam distinctionem inter Superintendentes, Archi-Superintendentes & simplices prædicantes. Sed cum sustineant & sustinere debeant in suis principis majorem illam dignitatem ac potestatem non descendere à jure & ordinatione divina, vi cujus nullum dicunt esse discrimen, sed jure humano & ordinatione inter illos facta, ipsi se jugulant, eò quòd neglectâ ordinatione divinâ sequantur ordinationem humanam, & sic sæculus admittant; quod toties Catholicis objiciunt ex Matth. 18. *Sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Et hinc si ego prædicatus tantum ruralis apud illos essem, non paterer mihi eripi potestatem ordinandi & omnem jurisdictionem in Ecclesia Lutherana exercendi, quam exercet Superintendens. Nam Deus juxta protestantium doctrinam me fecit cuilibet Superintendenti æqualem. Sed pro dolor, quòd ita omnes æquales sint, ut nullus inter eos, excepto fortè Apostatâ Sacerdote ad

eos transfugâ ut supra dictum, verus sit Sacerdos, ut Lomerus concedit. Et si hoc tantum verè probabile esset, deberet prudentem protestantem movere, si salutis suæ amans sit, ad ingrediendum in gremium vetæ Ecclesiæ, prout plures ex iis per hoc ad id faciendum moti sunt. Verè, ut hic Tit. Hæretici ex 1. Timoth. 6. notavi, hærent in verbis, & languent circa *quæstiones & pugnas verborum* Hæretici, dum suam, si Superis placet, hierarchiam constituunt ex *Diaconis, præsbyteris & Episcopis* juxta Etymologiam horum græcorum verborum. *Diaconus* dicunt latinè *Minister* est, *Præsbyter* idem quod *senior*, *Episcopus* idem quod *vigilans*. Sic purè ex libidine Ecclesiæ contradicendi Episcopos ad ima subsellia relegant. Acutiùs Melancthon dixit se Electores & Principes Ecclesiasticos in Germania venerari tanquam Principes imperii, eos autem non esse Episcopos, eò quòd nomen illud designet Speculatorem vigilem super gregem suam, & in hoc tantum quoad spiritualia se exercentem, ut narrat Palav. in hist. Conc. Trid.

*De universali Episcopo sive summo omnium  
Pastore.*

**L**aborant summopere Sectarii, ut excludant unum caput supremum, Christique in terris Vicarium, & tamen ipsi vel universum populum Christianum præficiunt toti Ecclesiæ, & sic ejus regimen volunt esse democraticum seu  
popu-

populare, vel saltem cujuslibet communitatis & Ecclesie particularis particularem Pastorem seu caput sub Christo constituunt, vel potestatem praesidii residere ajunt in Principe saeculari, & ideo cum gentilibus praeter Romanis Pontificibus titulum dant *Pontificis Maximi* Romanis Imperatoribus. Imò indignantur devotis Romanis Imperatoribus Christianis, quod hunc titulum repudiarint, quem illi repudiabant, quia agnoscebant cum primo Christiano Imperatore Constantino, hunc titulum veteris Romae Episcopo convenire. Pari modo Gentiles indignati sunt Gratiano Imperatori solenniter vetantibus ne is sibi titulus ab ullo daretur, jactabantque dum Tyrannus Maximus in Britannia contra ipsum insurgeret, brevi *Maximum* fore *Pontificem*, hoc est in illorum sensu Imperatorem, si Gratianus Imperator nollet esse *Pontifex Maximus*. Jam ad rem.

Si captus est aliquod supremum in Ecclesia sive Christi supremus in terris Vicarius, is utique erit, quem Christus constituit, & cui dixit: *Pasce oves meas*, sive fideles omnes Joan. 21. *Quodcumque solveris super terram, &c.* quaecumque alligaveris, haec soluta & ligata *in caelis erunt*. Matth. 16. & 18. Haec non dixit Christus ulli Principi vel Magistratui saeculari, vel populo aut quibusdam particularibus, sed Petro, quem & nominavit *Petram*, supra quam aedificanda esset ejus Ecclesia in toto mundo. Ergo Petrus & ejus Successores, cum Christus morte Petri suam non voluerit extinguere Ecclesiam

fiam, sed usque ad finem mundi perseverare,  
à Christo fuere constituti supremi pastores. Prin-  
cipi sæculari jubentur subesse 1. Petr. 2. & ad  
Rom. 13. subditi tantum in rebus politicis,  
etiamsi infidelis is sit aut gentilis, non enim sine  
causa gladium portat. Imperatores Christiani  
Duce Constantino agnoverunt, se Ministros  
esse Dei ad custodiendas divinas leges & Eccle-  
siam defendendam, non autem se esse iudices  
vel interpretes legum divinarum & Ecclesiasti-  
carum. Verum est, quod Julianus Apostata,  
& quidam Imperatores Arianismo aliisque in-  
fecti hæresibus non, ut par est, Romanos Ponti-  
fices reveriti sint, sicut etiam ultimis hisce tem-  
poribus fecere plures Reges & Principes anti-  
quum gentilium Imperatorum titulum reassu-  
mentes, & tam in sacris quàm profanis domi-  
natum sibi arrogantes. Sed ut argumento ad  
hominem, ut vulgò dicitur, utar. Protestan-  
tes & illorum Coriphæi primis quatuor sæculis di-  
cunt Ecclesiam Romanam adhuc immunem  
fuisse ab omni labe Anti-Christi. Ergo inspi-  
ciant declarationes primorum sæculorum, &  
omnium SS. PP. & videbunt ad oculos, omnes  
Pontificem Romanum pro Vicario Christi & ca-  
pite visibili Ecclesiæ agnovisse. Qui (sicut  
Principes sæculares in suo regimine) sibi subor-  
dinatos adhibent Episcopos in consilium, sicut  
ex directione Petri *convenerunt Apostoli & Seni-  
ores videre de verbo hoc* Act. 15. Ex usu & praxi  
continua à primis Christianitatis sæculis etiam  
patet, quod, si Episcopi in re aliqua decidenda  
con-

convenire non poterant, vel altioris videretur res esse indaginis, confugerint ad sedem Petri, hoc est Papam Romanum. Ut acta Conc. Nicœni Chalcedon. & mille PP. textus clarissimè probant. Est Papa quidem etiam *membrum Ecclesie*, & quidem *principium*; si Christus consideretur ut caput per internum & spirituales influxum afficiens Ecclesiam. Si autem consideretur Christus ut caput gubernans Ecclesiam exterius & sensibilibiter, necesse habuit aliud caput fidelibus proportionatum sibi substituere, ut quoad exterius regimen, & tenenda quoad fidem & mores haberet Ecclesia subordinationem, & sciret: quid ultimatò tenendum aut faciendum sit. Sicut oves non se ipsas, sed pastor eas pascit, ad pascua bona ducit, à nocivis arceat. Sicut autem monstruosum non est, quòd mulier præter caput suum physicum morale quoque habeat juxta illud Ephes. 5. *Caput mulieris vir est*. Ità monstruosum non est, ut præter caput primarium invisibile, quod est Christus, habeat Ecclesia caput visibile sive Vicarium Christi. Sicut regnum Rege absente Proregem habet, potrò moriente Pontifice claves remanent in manibus Christi, à quo illas accipit novus Pontifex non traditione novâ, sed institutione antiquâ. Sicut, si Rex constituens Proregem, faceret hoc decretum, quod mortuo Prorege velit in locum prioris admittere illum, quem proceres elegerint; & illi jam nunc eandem potestatem conferat, quam priori concesserat. Paulus objurgavit Petrum ad Gal. 2. non judiciali



ciali sententiâ , sed correptione fraternâ cum bono zelo & debitâ reverentiâ , neque circa fidem , sed circa aliquod factum peculiare restitit Petro , quòd scilicet caeremonias aliquas Judaicas necdum mortiferas nimis observaret. Circa facta peculiaria, v. g. quando se non ostendunt belligerantibus Principibus communem ac impartialem patrem, utique reprehendi possunt Pontifices. Quando verò Paulus dicit 2. Cor. 2. *Nil minus se fuisse ab Apostolis*, hoc utique quoad *predicationem Evangelii*, quòd æquè à Christo ac alii Apostoli acceperat, item *quoad labores Apostolicos* verum est. Imo ob hos labores & plures scriptas epistolas per antonomasiam *Apostolus* dicitur, non autem, quòd quoad jurisdictionem & potestatem constitutus sit cum Petro supremus pastor, quia tamen Petrus & Paulus plurimum laborârunt in convertendis gentibus, & uterque prædicavit, & Martyrium subiit Romæ in urbe orbis, hinc *Principes Apostolorum* vocantur. Quis major sit quoad merita apud Deum, nescitur, & huc non pertinet. Petrus fuit à Christo constitutus supremus Pastor, Paulus, ut portet nomen Christi coram Regibus & gentibus, & multa pro ipso patere- tur. Hoc cuilibet, ut patet ex Script. munus dedit Christus, & sedes Romana ab initio Ecclesiæ usque huc nunquam fuit appellata cathedra *S. Pauli* sed *Petri*, & utique præcipua Ecclesia non fuerit biceps, quod probrum nulli alteri Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ & gubernatæ accidisse legitur. Porro licet Petrus & ejus

Suc-

Successores caput fuerint supremum cæterorum  
 Episcoporum & Ecclesiarum, alii tamen etiam  
 Apostoli vocantur *fundamenta*, *Doctores*, *Pa-  
 stores Ecclesia*, dictumque etiam est ad eos;  
*pasce oves meas*, sed non eodem modo & in eo-  
 dem gradu. Nam Petrus fuit Pastor ordinarius,  
 cui perpetua convenit successio; cùm Ecclesia  
 semper indigeat summo Pastore & capite (sicut  
 & Judaica olim Ecclesia habuit) at cæteri tan-  
 quam *Legati* ad dies vitæ & ut extraordinarii Pa-  
 stores juxta illud 2. Cor. 5. *Legatione fungimur  
 pro Christo*. Legati autem munus naturaliter  
 extinguitur cum vita legati, & licet ratione in-  
 fallibilitatis quoad docendum cæteri Apostoli  
 utpote Spiritu S. pleni non indiguerint guber-  
 natore Petro; reliquorum tamen Apostolorum  
 Successores futuri erant fallibiles & indigentes  
 moderatore ac supremo capite. Quod etiam  
 recurrendo ad Romanam Petri sedem de sæculo  
 in sæculum cæteri Episcopi ut supra dictum,  
 ostenderunt. Et quid clarius quàm declaratio  
 Conc. Nicæni ex generalibus post illud Aposto-  
 lorum Jerosolymæ habitum primi Can. 39.  
*Ille qui tenet Sedem Roma, Caput & Princeps est  
 omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est  
 primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes  
 Principes Christianos, & omnes populos eorum.  
 Ut qui sit Vicarius Christi D. N. super cunctos po-  
 pulos & cunctam Ecclesiam Christianam, & qui-  
 cunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.*

Cæteras quæstiones remitto ad scholas utpote  
 extra scopum hujus libelli, v. g. an Episcopi  
 suam

suam immediatè jurisdictionem accipiant à Deo. Quòd Pontifex quâ supremum caput agnoscere & declarare debeat, Concilium generale esse legitimum; quod solum concilium de fide nil decernere possit, nisi à Pontifice approbatum & confirmatum, & quòd Pontifex è Cathedra loquens saltem tunc infallibiliter in materia fidei & morum decernat; si ab Ecclesia, id est, plurimis Episcopis [ quorum respectu contradicentes sunt parvo numero ] id acceptetur; omnes Catholici sustinere debent. Et jure famosa propositiones Parisienses in præjudicium Papæ editæ Anno 1682. revocatæ sunt. Adjicio adhuc unum ex summo illo Ecclesiæ Doctore Aug. l. contra Manichæos c. 4. ubi post varia, quæ in Ecclesia Catholica eum tenent, subdit hæc formalia: *Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad presentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Quando vel umbram ex textu alicujus S. Patris protestantes contra Catholicam doctrinam possunt adducere, mitè sibi applaudunt; licet citatus ab iis S. Pater ex contextu videatur sensisse cum Catholicis. Quando verò torrent SS. PP. citatur contra eos, nec aliud effugium inveniunt; dicunt Patres fuisse homines & errare potuisse, sed hoc hìc non queritur, sed queritur, an non salutis suæ amans cordi ducere debeat praxin, traditionem Ecclesiæ, & communem SS. PP. & maximè Conc. generalium in hac & aliis controversiis consensum, & hunc privato Luthero, Calvino ante-

anteferre debeat, qui nullam extraordinariam vocationis seu missionis suæ à Deo probabile ne dicam stringens aut convincens argumentum pro se possunt adducere. Nunquid in possessione de sæculo in sæculum erat Romanus Pontifex Vicariatus Christi Lutherò monachalem deponente cucullum, & vota Deo facta sacrilegè infringente? si nil ligat quàm S. Scripturam ubi textus clarus habetur in Script. quòd non debeat caput esse visibile Ecclesiæ? vi cujus in petitorio possit ejici Pontifex Romanus ex possessorio, in quo ejus antecessores à S. Petro usque huc fuerunt. Cùm quidam ex pervetusto stemmate nobilis uni ex nostris ante annos aliquot diceret, se statim Catholicam amplexurum religionem. Si immediata successio Episcoporum Roman. in Sede Petri legitimè constaret, reposuit Pater, an ipse vellet indubitato haberi pro tali nobile ex tali familia descendente, annuente iterum oggessit. Hoc enim verò mirabile est, tu pro tali nobile vis indubitato haberi non obstante, quòd quando generantur filii, id duo tantùm sciant; & subinde contingat uxorem habere negotium cum alio, quàm cum suo marito, & non satis tibi constare dicis successionem Pontificum Romanorum. Cùm electiones istæ ex actis & instrumentis publicis Notariorum constent, cujus generis instrumentis legitimè confectis in toto mundo habetur fides. *Et dubitamus nos ( ita discursum clausit antedictus Pater ) ejus Ecclesia condere gremio, qua usque ad Confessionem generu*  
*humana-*

humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen autoritatis obtinuit, cui nolle primas dare vel summe profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantia. S. Aug. l. de util. credendi c. 17. Jam revertamur ad pias mentis in Deum elevationes & salubria,

*Reges, Principes.*

Optandum est, ut & hi in mentis ad Deum elevationibus se impigrè exercent, & ex S. Scriptura documenta spiritualia sibi conquirant, & alii Deum incessanter rogent, ut ea Principes maxime Catholici cordi sumant. Hunc in finem S. Ignatius suis præcepit, ut ferventes pro Principibus preces funderent; eò quòd à proba illorum vita & Christiana populos subiectos regendi prudentia bonum commune & omnium privatum plurimum dependeat. Ego textus ex Script. & rationes hìc adfero primò pro vita privata Principis ac virtutibus ejus sacratæ & altæ personæ maxime necessariis. 2dò. Pro cura quam habere debet pro aulæ suæ inquilinis seligendis, quicunque demum sint & consiliariis sive status, sive Regiminis intimi, quorum Princeps Rector esse debet, & non ipsi Principis. 3tò. Pro bona politia inducenda in ditiones subiectas, & cavendis inutilibus & sæpè nocivis expensis. 4tò. Pro justitia ritè ad-

I mini-

194 *Pars secunda de elevatione ministranda.* 4<sup>to</sup>. Pro cautela ac providentia in fœderibus aliisque, quæ cum exteris Principibus tractantur, observanda. 6<sup>to</sup>. De bona Principum in pueritia ac adolescentia educatione ac instructione, cui brevem ad Deum orationem subnectam.

*Primò.*

*Vita privata Principis & virtutes ei maxime necessariae.*

**Q**uidam ex nostris à magno Principe interrogatus, an non, si Reges & Principes damnentur, Deus sicut eos præ cæteris distinguit in mundo hoc, ita quoque in inferno honoratioribus v. g. subselliis & mitioribus tormentis distincturus sit. Interrogatus inquam respondit differentiam, qua Deus præ cæteris damnatos Principes distincturus est, à Salomone & ipso Rege & quidem potentissimo, opulentissimo & sapientissimo, ita ut ei similis non fuerit describi in lib. Sap. c. 6. his verbis: *Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui presunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, Potentes autem potentia tormenta patientur, non enim subtrahet personam cujusquam Deus (debitæ scilicet pro peccatis pœnæ) nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æquè est illi cura de omnibus, fortioribus autem (ecce repetita distinctio) fortior instat cruciatum.*

*Ad vos ergo Reges (pergit Salamon cap. cit. à v. 10. ad 13.) sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis Dei gratia. Qui enim eustodiant iusta iuste, iustificabuntur, & qui didicerint ista, invenient quid respondeant Severissimo Judici Deo & Regum Regi. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos. Sicut differentiam inter Principes & homines alios Sap. c. 6. assignat Salamon in inferno, sic & in eodem libro c. 4. à v. 19. & c. 6. à v. 2. ipsi Principes mali peculiaria sua tristia fata pro agone & extremo iudicii die legere possunt. V. g. Erunt post hac decedentes sine honore. Dominus dirumpet illos inflatos, erunt gementes appropinquante morte dicentes, quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, & in agone venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducunt illos ex adverso iniquitates ipsorum. In extremo verò iudicio, dum stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, ipsi videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra se pœnitentiam, sed seram nimis & eam, quam per totam æternitatem in inferno habebunt, agentes, & præ angustia spiritus gementes. Ab his ergo in agone extremo iudicii die, & per totam æternitatem tristibus distinctionis notis, ut liberentur Catholici Principes, quibus ob majores præ cæteris gentilibus & Hæreticis Regibus acceptas gratias fortior denuò præ illis instabit cruciatus, has virtutes, utpote maximè, ne in malum præcipites ruant,*

necessarias imprimis pro vita sua privata conentur acquirere primo devotionem erga Deum eiusque salutarem timorem, hunc in fine preces indies ad Deum fundendas sibi ipsis componant ex oratione v. g. Salamonis Sap. 9. & ad salutarem sibi metum incutiendum indies ruminent jam allata, quod scilicet præ cæteris in agone extremo iudicii die & in æternum in inferno præ cæteris cruciandi sint, si non cum Davide & tot aliis piis Principibus in mandatis Dei ambulent. 2do. Sibi maximè caveant ab illis vitiis, quæ ad alia solent inducere ut sunt v. g. ebrietas, superbia, luxuria, & idè imprimis sint sobrii. *Noli Regibus ò Lamuel* ( hebraicè significat *in quo Deus* ) *noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, & me fortè bibans & obliviscantur iudiciorum.* Prov. 31. v. 4. 3tio. Genuinæ humilitatis sint studiosi. Hinc sæpè cogitent, se præter hoc, quod majoribus præ cæteris tormentis in inferno cruciandi sint, si in disgratia Dei moriantur, nil nec in nativitate nec morte habere præ cæteris unde superbiant. *Ego natus* ( ait Salamon Rex Sap. 7. v. 3. *accepì communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, in involumentis inritus sum & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium, unus ergo introitus est omnibus ad vitam & similis exitus.* Et Eccl. 10. *Rex hodie est, & cras morietur, cum parietur, hereditabit serpentes, & bestias, &*



*vermes terra.* Ergo nec potentia, nec auro argento gemmis coruscantes vestes aut corona inflet Principem, quin potius studeat, ut ipse in veritate in vita & agone dicere possit coram Deo, quod coram eo contestata est Esther Regina Esth. 14. *Tu scis, quod abominer signum superbia & gloria mea, quod est super caput meum in diebus ostentationis mea, & nunquam latata sit ancilla tua, nisi in te Domine Deus.* Accedet & per hoc illud bonum Principi, quod si humilis verè sit Princeps, etiam sit futurus mansuetus & affabilis, quod maximam ei conciliabit subditorum venerationem amoremque, & præ cæteris omnibus ejus solium firmabit. Atò Principes sint casti. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Sap. 4. Felices familiæ Regiæ & Ducales, in quibus hæc virtus à teneris implantatur. Maledicta principia illorum, qui & adulescentes ac juvenes & viros Principes conantur in obscœnitatum barathrum præcipites agere, non Christiani sed gentilibus pejores sunt, qui dicunt sanguinem regium non inficere, rident ad ejusmodi sceditates tanquam peccatilia, & in Principibus laudant, non carpunt fornicationes & duplicata adulteria. Felix Princeps, qui in agone potest dicere illud Job. 31. *Non est deceptum cor meum super muliere, quia sic sapienter, providè ac moderatè semper reget & benedictionem temporalem ac æternam stirpi suæ à Deo impetrabit.* Sicut econtra majores

nostri experti sunt, & nos ex variis regnotum revolutionibus scimus, quòd per libidinem indomitam Principum integra regna susque deque versa sint, & à fide vera defecerint. Est enim pergit Job l. c. dicere luxuria *nefas* & *iniquitas maxima*, ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Hoc est optimas quasque inclinationes Principis fortitè aliàs animam & indolem bonam, divinas gratias ac inspirationes, & optima quæque à teneris inculcata principia exsufflans. Hinc videmus per infames libidines istas, Principes, qui aliàs fuerant sobrii fieri temulentos, qui aliàs mites ac mansueti, degenerare in tygrides, qui aliàs prudenter & per se gubernabant, regimen omne ministris suis concedere, ut ipsi eò liberius Veneri litare possint, unde confusum cædibus rapinis & mille subditorum vexis infame exoritur regimen, & ipsi Principes juxta illud *cui non sufficit una, non sufficiunt mille*, in peiora semper scelera prolabantur, & ditiones in prædam ac spoliū cædunt hostium. Dicit hæc non semper videri, econtra scimus Principes Regesque magnos mæchos adulteros toto ferè vitæ tempore fuisse felices quoad victorias ab hostibus reportatas, & ditiones integras regnis suis adjectas. *Respondeo* hoc equidem subinde contingere ad tempus, dum Deus illorum alia bona opera in hoc mundo renumeratur, sed nondum horum omnium vidimus finem; dum mensura impleta est, etiam Deus sæpè punit in posteris. Et quid tandem exigua illa & brevis  
illos

illos juvabit felicitas? postquam æternum ardebunt in inferno. Nec unum ex illis emanet vel pœna in hac vita, vel certè sempiterna in altera. Et cum ea in hac vita emanere non soleat, ut Davidis & mille aliorum Regum exempla testantur, si Princeps toto animo contritus ad Deum se convertat, adeoque pessimus quidam nebulo optarit, ut Rex in sordibus suis se volutare pergeret, eò quòd sic fortè non in hac, sed altera vita luiturus esset, & cum id incolumitati regni prodesset, non curandum, an Regis anima postmodum Diabolo in prædam cedat. Inde magis magisque patet, quàm necessaria sint Principi vita & thorus immaculatus tum pro communi & familiæ temporali prosperitate, tum vel maximè æternâ ejus salutè, cui non proderit mundum universum lucratum esse, si animæ suæ æternum patiatur detrimentum. Et pessimum adhuc exemplum dat Rex in senectute lasciviens hircus, sicut cum summo animi gaudio quivis ingenuus & Deum timens legit l. 3. R. g. c. 3. quomodo Deus familiariter de nocte apparuerit Salamoni, dixeritque: *Postula quod vis, ut dem tibi,* & ipse sapientiam regendi subiectum sibi populum petierit. Et cap. 9. iterum ei apparuerit Deus, & thronum posteris ejus in sempiternum ptomiserit. Ità sine lacrymis legere non potest subsequens caput undecimum, ubi inter cætera dicitur: *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. O maledicta libido, & maximè in Principe!* quæ Re-

gem omnium quotquot fuerunt, sunt & erunt  
sapientissimum tam familiaribus à Deo ipso ho-  
noratum alloquiis usque adeo in idololatriâ, &  
quidem tam multiplicis, ac erant mulieres di-  
versa idola colentes, scelus turbârunt, & pe-  
steris suis sceptrum Israël eripuerunt. O Rex  
ô Princeps! nunquam animo tuo hæc excidant.

2dò.

*Sint boni aula inquilini & selecti regiminis supremi  
ministri ac intimi vel status consilarii.*

Sicut quilibet pro domesticis suis severam Deo  
rationem dare debet, ita vel maximè Princeps  
pro iis, qui in aula sua degunt. Adeoque  
1mò Deum timentes habeat servos à pedibus &  
cubiculis, non autem adeo omnis honestatis  
oblitos. qui ipsi Principi scorta & pellices de  
nocte adducant. Caveat etiam Princeps, ne  
tales *Pantoffels Ministeren* animo suo dominentur  
ob ludicra impudica scurrilia, quibus inter  
induendum aut exuendum eum recreant. Ta-  
les ab aliis uncti multa sæpè impetrant bono  
communi nociva, imò, ut scio, secreta etiam  
& infames ejus libidines aliis produnt. 2dò.  
Magnam impendat Princeps curam in selectu  
Ephœborum & juvenum nobilium. Stupen-  
dum quòd gentilis & barbarus Rex Nabucho-  
donosor captâ Jerosolymâ cum Judæis captivis  
in terram suam reversus Asphenez Præposito  
Eunuchorum mandârit. *Ut introduceret de filiis  
Israël*

Israël, & de semine regio pueros, in quibus nulla  
 esset macula, decoros forma, & eruditos omni  
 NB. sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disci-  
 plinâ. Dan. 1. An pro eruditione in omni sa-  
 pientia, scientia, disciplina Ephœborum ma-  
 gna hodie dum cura geritur à Principibus Ca-  
 tholicis? an potius Ephœbi indocti insipientes  
 & præ cæteris omnis maximè disciplinæ ocores  
 sunt? *Asphenetz* seu eorum præpositus plerum-  
 que in aulis est supremus stabuli præfectus. Hic,  
 quod muneris sui est, faciet, si benè apprehen-  
 dat pretium animarum istorum juvenum, &  
 quomodo tam benè commune quàm privatam  
 illorum bonum pendeat à bona educatione, in-  
 structione in omni sapientia, scientia ac disci-  
 plina, & timore Dei. 3<sup>tiò</sup>. Sollicitus sit Prin-  
 ceptus, ut bonos habeat Corregentes, Ministros  
 & status vel intimos Consiliarios, non à quibus  
 totus ipse regatur, sed quos ipse regat. Non  
 debent sanè tam illimitatam ab ipso habere hi  
 potestatem, ut sine illis nihil etiam æquissimum  
 optimèque ipsi Principi & patriæ conveniens  
 impetrari, vel ad effectum deduci possit. Ta-  
 les vocantur *eine Zwangmühl*, quam omnes  
 inungere debent, qui volunt molere, sive ne-  
 gotium aliquod conficere. Ipse Princeps no-  
 men & omen habeat, quòd gratias has, illas im-  
 pertiatur, non ejus servi ac ministri, & si nihil  
 habeant, quod huic vel illi à Principe datæ vel  
 promissæ gratiæ ex æquo & cum debita submis-  
 sione opponere possint, exequantur jussa Prin-  
 cipum, vel ob fastum arrogantiam, obstinatio-

nem in non exequendis mandatis Domini sui loco moveantur, & digniores ad illorum subsellia ascendant. Ante omnia autem primo Consiliarii, seu Intimi, seu status ut vocant, & conferentiarum ministri non sint *Pseudopolitici*, sic enim mala dabunt in materia justitiæ, religionis, &c. consilia, quæ licet sub initium videantur prodesse, in fine finali tamen familiis Regiis & Ducalibus eorumque ditionibus interitum adferunt. Ut vidimus in Jeroboam I. 3. Reg. c. 12. qui timens, ne regnum Israel rediret ad domum David, si Israelitæ quot annis certis in anno festivitibus irent Jerosolymam adoraturi verum Deum in templo Salomonis, habito cum suis consilio unum vitulum aureum in Dan & alium in Bethel proposuit adorandum, & per hoc Israelitas ad idololatriam maluit adducere, quàm periculò se perdendi regni exponere. Interim & ipsius stirps statim excisa est, & tandem totum regnum Israel interiit. 2<sup>do</sup>. Ministri illi non sint præcipites nimium fervidi in consiliis dandis & inexperti. Sic Roboam secutus consilium suorum juvenum Consiliariorum I. Reg. 3. c. 12. perdidit Israelis regnum. 3<sup>to</sup>. Consiliarii isti non sint nimis inflati & ambitiosi, hi enim, ut primo potiantur loco apud Principem, omnia susque deque vertunt, & se capaces quique meliora possent dare consilia in rebus arduis, conantur denigrare remove, & sic Princeps superbos non bonos ad latus habebit correptes. 4<sup>to</sup>. Non sint adulatorum oculos servientes angustiorisque pectoris, quàm

ut audeant vera & æqua licet sæpè Principi non adeo grata edicere. Sint, sicut reverentes erga Principem, ità & cordati, qui nil tueantur, nisi quod æquum est, & ad verum bonum Principis ac patriæ conducit. Tales nosse incipiens Princeps bonus amabit, & aliis præferet. 4to. Non sint ante omnia nimium interellati sive Mammonistæ nummis & bonis corradendis intenti, quia talibus revera nec quoad justiciam ritè administrandam subditis, nec quoad proprium suum Regiæque aut Ducalis familiæ interesse tutò fidere potest Princeps quiscunque magnus & potens, quia vel auro corrupti hostibus prodent arcana, vel utcunque fidi esse velint, facilè Principem ad fœdera suæ familiæ & ditionis nociva perducent, ut toties experientia rerum omnium optimâ magistrâ didicimus, prout numero 5to hîc ulterior fiet mentio. Demum Ambrosio teste, *talis debet esse, qui consilium dat, ut se ipsum formam aliis & exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate, ut sit sermo ejus salubris atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta sententia decora.*

3to.

*Bona politia introducenda in ditiones subiectas, profusi autem & inutiles sumptus cavendi, ne nimium exhauriantur subditi.*

1no. **B**ona & Principem decens politia est, si publica scandala à quocunque demum

commissa aut committenda impunè non tole-  
 rentur in urbibus, pagis & oppidis. Confili-  
 arii Principum desuper interpellati volunt ha-  
 bere probas, diatas vel ad forum ea contentio-  
 sum deducere, ut scandala ejusmodi commit-  
 tentes interea tempus inveniant ea palliandi &  
 ob unctose eos, à quibus ad exemplar aliorum  
 insigniter puniri deberent, tandem impunes  
 abeant. Ad quid omnis iste fori contentiosi  
 apparatus? equidem nemo inauditus condem-  
 nari debet. Sed ubi fama publica cum funda-  
 mento loquitur, facile à fido & Deum præ ocu-  
 lis habente Ministro inveniuntur certiores viæ  
 ad scandalis publicis obviandum. *2do.* Viæ pu-  
 blicæ à prædonibus sint immunes, quòd facile  
 per turmas militares ditionem continuò aut cre-  
 briùs peragrantes executioni datur. Sint etiam  
 viæ commodæ, eæque, ubi per aeris tempe-  
 states aut continuum aurigarum aliorumque  
 com meatum sunt pessumdatae, reparentur. Ideo  
 dantur certis in locis ab incolis & exteris tran-  
 seuntibus vectigalia, ideo cum annuo salario  
 constituuntur, qui vi officii ad hæc debent at-  
 tendere, ideo in locis publicis crebra affiguntur  
 diplomata. Dentur obsecro executioni, &  
 bonum in ditione tali erit regimen politicum.  
 Quo etiam pertinet, ut magistris postarum, qui  
 magnum à curribus publicis à Principe concess-  
 tis habent emolumentum, sedulò invigiletur,  
 ut hoc præstent incolis & exteris per ditiones  
 suas his curribus usuris, quod præscriptum &  
 in domibus postariis ubique in impressis affixum  
 prostat.



prostat. 310. Sedulò cum suis corregentibus in id incumbat Princeps, ut hoc illove modo onera leventur subditorum, mercatura floreat, oppressiones plebis & minùs potentium per potentiores scædæque usuræ eliminentur, milites caterique tam in civilibus quàm militari- bus officiales sua accuratè & debito tempore accipiant salaria ex ærario publico, ut hoc autem sæpè non reperiatur inane & vacuum. 410. Princeps ante omnia cavere debet super- fluos sumptus, & expensas non tantùm inuti- les, sed & sæpè vel maximè nocivas. Quales sunt, si Principes minùs potentes gradi velint pares Regibus quoad Palatiorum magnificen- tiam, nova veteribus satis bonis destructis ædi- ficia, aulæ pompam Ministrorum Consiliario- rum aulicorum servorum sive à pedibus sive à cubiculis, copiam, delicias comædiarum ac venationum, quarum sæpè una vel altera trice- nis vel centenis florenorum millibus constat. Quòd si jam præterea musicis parasitis morioni- bus adulatoribus nimis multa dentur, & vel maximè fiat lapsus in foveas, de quibus Prov. 23. Rex Salamon mentionem facit, eò magis exhauriuntur æraria, & si ea exhausta sint, mul- tiplicatis vectigalibus ità emunguntur subditi à Principibus [ qui absque eo robur in armis non habentes eos contra hostes non possunt defen- dere ] ut jam una talis ditio plus contribuere debeat suo territoriali Domino per anni unius, ac olim sub Romanis Imperatoribus orbis do- minis per integri decursum sæculi. Et tamen

inter hos, quòd quosdam tractarint crudeliter, aliqui titulum habent *Tyrannorum*. Jam verò tot variis in ditionibus habemus gratiosissimos & clementissimos Dominos, quibus subditi plus ac possunt, subinde debent contribuere, & ità ad sanguinem usque quasi emunguntur. Ideo S. Franciscus de Paula Principi cuidam nummum ab ipso eulum ostendens ex eo expressit sanguinem, dicens, hunc esse subditorum suorum nimium oppressorum.

4to.

*Ante omnia justitia ritè administranda, in quo maximè Christiana elucet politia.*

**A**udite Reges, & intelligite, discite Judices finium terra, prabete aures, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitia. Ecce lectionem, quam Rex Salomon Regibus & Principibus dat Sap. 6.

Dices impossibile esse ut Principes ac Reges impediant, quòd minùs multæ sæpè committantur injustitiæ. R. saltem primaria eorum cura sit has impedire in quantum possunt, vigili oculo attendant ad omnes, ut Deus summitati scalæ, quam vidit Jacob Gen. 28. è terra in calum porrectam, innixus as-& descenden-

tes per eam Angelos observabat. Quod sanè non fit, quando Principe venationibus, potatione, ludis, quisquiliis distento, aut, quod pejus est, & sæpè à pseudopoliticis ministris unice quæritur, mulierum amore irretito, Consilarii ejus pro suo libitu propriâque augendâ crumenâ omnia administrant. Fœdius adhuc est, si ipse Princeps, cum inter potentiores non sit, avarus nummisque inhians corruptiones cum sibi fido Ministro, sive pro officiis distribuendis, sive justitia administranda dividat, & sic illud II. I. verificetur: *Principes sui infideles socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Hoc sæpè talis occæcatus Princeps, utcunque sibi sapere videatur, latere omnes autumat, & ipse infidus Minister uni vel alteri sub secreto prodit, & hic iterum sub manu aliis, nomenque sui Principis mille diris & execrationibus exponit.

Ob injustitiam integra regna stirpesque Regiæ & Ducales subvertuntur, & malignorum Ministrorum nepotes ad incitas redacti experiuntur tritum illud:

*De malè questis non gaudet tertius heres,*

Econtra videmus gentiles aut heterodoxos Principes eorumque Ministros benedictionem habere temporalem à Deo, quia ritè administrant justitiam. Misera rerum facies in regno vel imperio; ubi in ditione una non datur ad altius tribunal appellatio. Si per tres ut vocant instan-

instantias aut revisionem ultimam à iudicibus  
 præoccupatis aut corruptis opprimatur iustitia,  
 & casus evidens denegatæ iustitiæ, etiamsi in al-  
 tiore tribunali probari posset, succumbere de-  
 bet præpotentiæ. Quod, si jam in ditione, ubi  
 ad altius tribunal admittitur appellatio, defectu  
 æris appellantem sequi non potes, aut magnis  
 etiam expensis sequaris, iterum miseria est cum  
 aceto, si vel sis ob absentiam requisiti ad id nu-  
 meri Senatorum, vel nimiam præviè deciden-  
 dorum copiam per lustra benè longa sepulta ma-  
 neat, vel si eam evicisti denuò etiam profuso  
 largiter ære, executionem latæ sententiæ vel  
 ab hac vel ab ista aula impetrare non possis. In-  
 nocentius XI, Pontifex Maximus solebat dicere,  
 se Leopoldum Imperatorem in vivis Sanctorum  
 numero posse adscribere, si iustitia in Germa-  
 nia meliùs administraretur. Sed variis ut notum  
 est de causis piissimus hic Princeps omnem non  
 potuit submovere lapidem seu remoram in iure  
 dicundo & vel maximè exequendo. Ut jam  
 practicè ostendam, qua methodo Princeps pro-  
 curare possit, ut benè, quantum ab ipso pen-  
 det, administraretur iustitia. *1<sup>mo</sup>.* Per securos  
 canales expiscetur, an inter constitutos à se ju-  
 dices sint, qui non nisi uncti laborent, & ma-  
 gis ungenti etiam plus æquo faveant. *2<sup>do</sup>.*  
 An assueti sint conviviiis, lusibus, compotatio-  
 nibus in seram noctem, & hinc die altero debi-  
 to tempore & horâ iudiciis interesse non pos-  
 sint, sed crapulam edormire debeant, nec acta  
 præviè relegere potuerint. Eiusmodi defectus

magnam sæpè remoram cursui litium injiciunt.  
3tio. An verè capaces debitæque scientiâ instru-  
cti sint ( quòd per fidos & rerum intelligentes  
resciri potest , antequam officium Consiliarii  
Aulici iis conferatur ) in hoc enim sæpè defectus  
est , quòd parentes pro filiis , vel hi ipsi pro se  
eadem , quæ parentes habuère , honorum quæ-  
rant subsellia , & per patronos mediante uncti-  
one adipiscantur , ad quæ requisita talenta  
scientiam multò minùs experientiam aut praxin  
non habent. instigant etiam ad honorifica  
ejusmodi officia prensanda mulieres , ne in con-  
viviis conventibus inferior iis locus inter sibì  
alias æquales assignetur. Unde pedetentim ir-  
reperitur turba Consiliariorum , quæ paucos nume-  
ret verè capaces incorruptos & assiduos. Cer-  
tè bona apud Sinas politia est , ut non tantùm  
attendatur ad parentum merita , sed filiorum  
quoque capacitatem , qui si in examinibus plu-  
ribus rigidè tentati non subsistant , etiamsi sint  
primariorum mandarinorum filii , ad politica &  
jus administrandum non admittuntur , sed ad  
militaria applicantur officia. Et dolendum est,  
quòd [ apud Catholicos maximè ] omnes ca-  
paces & incapaces prætendant officia , in quibus  
solida requiritur jurium scientia , & pro merca-  
tura militia vel aliis , ad quæ capaces essent , ne-  
goriis addiscendis & tractandis , pauci sint candi-  
dati ; hinc illa Notariorum , Procuratorum , Ad-  
vocatorum , Consiliariorum est copia unâ ex  
parte indocta ex alterâ indigens , ut tot praxibus  
& abusibus opus sit ad panem lucrandum. 4to.

Non

Non plures ergo, quam respectu ditionis suæ opus est, Consiliarios Aulicos habeat Princeps eosque tum à fidelitate ac pietate, tum à capacitate & scientia conspicuos, & his solis largius assignet stipendium; ut eo animati corruptiones non presentent, & tamen familiam suam pro statu, in quo sunt, honestè ac decenter alere, proles ad statum competentem perducere, iisque etiam honestam hæreditatem relinquere possint, maximè si absque eo media à se habeant, vel per uxorem acceperint. Et in genere loquendo, si hi capaces sint, etiam aliis minoribus habentibus, nisi valdè excellentem scientiam aut talenta habeant, essent præferendi, quia sic dirà necessitas eos potenter non tentat ad acceptandas corruptiones aut quærendas. Siquidem salarium, quod Principes aliqui multos, & plures ac necessum esset respectu ditionis suæ, habentes Consiliarios iis annuatim assignant, vix sufficit ad sylvia uxoriæ vestis persolvendum, sicut. Demum Princeps crebrò & iteratò urgeat, ne nimia in litibus decidendis protrahatur mora, citò expediantur ea, quæ altioris non sunt indaginis, & cætera intra constituta à se tempora conficiantur. Scio hoc non placet illis, qui propter unum scriptum volunt acquirere additamentum ad olera, & ob aliud bonum vinum adjici, ad tertium crumenam farciri, sed bonum commune privatis prævalet & sæpè sordidè quæ sitis commodis.

sto.

*Cautela magna ac providentia adhibenda est in  
pangendis fœderibus tractandis negotiis  
cum exteris Principibus.*

Sœpè off- & defensiva ineuntur fœdera à Prin-  
cipibus, & tamen quando bellum præ fori-  
bus est, nec est pecunia in ærario, nec miles in  
campo, nec requisita in armamentario. Et  
miles ille, qui ad manum est, non æstimatur ab  
eo, in cujus gratiam militat, utpote parvus re-  
spectivè numero, nec ideo timetut ab eo, quem  
per hunc ipsum militem sibi Principes hostem  
faciunt sæpè irreconciliabilem, & longas, ut  
solemus dicere habentem manus, quas suo tem-  
pore extendere poterit. Sic ipsa sæpè fœdera  
malefano ineuntur consilio, & in patriæ ipsius-  
que Ducalis familiæ perniciem vergunt. Hoc  
centenis novimus exemplis confirmatum hoc in  
agone à patre filiis suis Principibus tam sollicitè  
inculcatum esse novimus. Et tamen vix Prin-  
cipes ( qui post tot mala ac damna ditionibus  
familiarumque suis illata nascuntur, & eventus in-  
faustos ob malè capta Majorum suorum confi-  
lia ad unguem nôsse, ac ad amissum perpendere  
deberent ) regimen capessunt, & idem denuò  
periculosæ plenum opus aleæ attentant, & cùm  
tam hostis quàm fœderatus ditionibus eorum  
ruinam inferat, eas paulò post funditus everfas  
conspiciunt. Ambitione ducuntur tales infe-  
lices

lices Principes, & coronas sibi in aëre fabricant levi vento vel fumo dissipandas. Auro corrumpuntur eorum Ministri, ut hunc ignem fatuum magis magisque accendant, & saltem tam diu foveant, quam diu id requirit interesse aut utilitas illius, qui pecuniam dedit, & prodicionem divisiones, cognatos inter aut Patriotas Principes amat, proditorem aut schisma facientem foederatum suum non curat, nec ob iniqua postmodum ejus fata angitur, dummodo ipse computum, ut ajunt, suum in pace cum principali hoste suo facienda inveniat.

Cautè ergo ac providè foedera ineat, negotia tractet Princeps cum Principibus exteris maxime se potentioribus, & quos cogere non potest postmodum ad promissa implenda. Plebeis, ut vulgare fert proverbium Germanicum, non expedit cerasa comedere cum magnis Dominis, quia post comesta cerasa eorum lapidibus ab ipsis possunt impeti. Nec minus potenti expedit Principi cum potentiori foedera pangere, & per hoc potentiorum quoque irritare. Servet ipse primò à se, secundùm statuta ac leges patrias observanda, & prout exit varius belli eventus inter Reges, vincenti congaudeat, victo condoleat, & quantum potest, & fas est per patrias leges aut imperii, cujus fortè membrum est, pacem contervet cum omnibus, sic ditioni sic stirpi suæ benè consulat. Equidem aviditas innata esse dicitur Principibus habendi plura, sed sæpè iis evenit, quòd cani Ælopico, qui carnem, quam habebat in ore,



dimittens ob eam, quæ grandior in aqua appar-  
rebat, neutram accepit. Et hoc sagaciores Prin-  
cipes optimè nôrunt, quorum aliqui ad æraria  
sua eò magis implenda uni quidem parti belli-  
geranti, alteri bello indicto non adhærent, sed  
suos sub stipendiis unius militare sinunt.

670.

*Bona Principum educationi maximè studendum.*

CUM adolescens juxta viam suam ambulans  
etiam cum senuerit, non recedat ab ea, &  
quivis Catholicus pater maximam in benè edu-  
candis prolibus suis operam elocare debeat, hoc  
vel maximè tum ob bona tum ob mala, quæ in  
regna, ditiones, imò totam Christianitatem,  
ipsas Regias ac Ducales stirpes indè redundant,  
observandum est à Regibus ac Principibus in  
educatione augustarum ac serenissimarum pro-  
lium suarum. Pessimum est principium autore  
Diabolo in mundum invectum, quod juvenes  
Principes, imò & nobiles non debeant à viris  
religiosis in timore Dei impressione quaruor no-  
vissimorum & æternarum veritatum à teneris  
educari, eò quòd frigido hoc agendi modo ge-  
nerositas indolis supprimatur. Catholicus Rex  
ac Princeps sciet, quid Evangelium, quid sana-  
ratio dicet, quid familiæ suæ serenissimæ reg-  
norum ac ditionum sibi concreditarum salus ex-  
petat, quas Deus aliquando ut severus Judex  
rationes ab eo exacturus sit. Septem primis an-  
nis

nis communiter sub cura nobilium matronarum Principes educari solent, ergo de probis ac solidè devotis, Deumque & timentibus, & sincerè amantibus gubernatricibus iis provideatur, quæ à teneris unguiculis Principi puero succum genuinæ pietatis instillent. Dum viris postmodum educatio ac instructio committitur, sint equidem tales, qui curent, ut in linguis, scientiis, exercitiis equestribus ac militaribus competentibus exercentur adolescentes Principes, sint etiam tales, qui paulatim artem gubernandi, bella gerendi edoceant. Sed adsint etiam tales, qui, quæ hîc attuli, iis inculcent, à vitiis arceant, in virtutibus corroborent, & in zelo veræ fidei debitâque veneratione Ecclesiæ antistitum Sacerdotum, & frequenti Sacramentorum usu ac Deiparæ Sanctorumque cultu, Nec sit inter gubernatores quoad temporalia & quoad spiritualia invidia, collisio aut metus, ne unus plus ametur, plaris fiat & in præsentibus & in futuro, à Principe quam alter. Quisque suum faciat, & augustæ stirpi, & regnis ac ditionibus benè consulat, & benedictionem à Deo habebit in terris, & magnam mercedem in cælis.

Interim quisque ex animo, & prout Deus jubet, revereatur Principem aut Regem suum. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, Rom. 13.* qui hoc non facit, & sic resistit potestati, *Dei ordinationi resistit. Ibid.* Respectus tamen erga Principem aut metus ejus gratia excidendi non

non debet te à bono in transversum rapere, sive in iure dicendo sive in iis, quæ verum reale bonum & Principis & subditorum concernunt, sive in aliis, in quibus tuam obsecundando voluntati Principis aut ei adulando læsurus es conscientiam.

O Deus ter optime maxime, non puni terras nostras Catholicas regimine malorum Principum, infige altè cordibus eorum timorem tui, devotionem ergate, Christianam humilitatem, sobrietatem, castitatem, & indefessum pro justitia benè administranda, Ecclesia tua tuenda, populis sibi subjectis benè regendis zelum, & prudentiam, ut ex solidis Christianis principis sibi stirpi suæ subditis benè consulant. Da iis in pueritia ac adolescentia informatores bonos, da in regimine tibi & ipsis fidos Consiliarios Amen. Multa hac in materia suggerenda adhuc erant, v. g. de justitia vindicativa, puniendis malis, sed ea non sunt mei fori.

Quæres, quomodo intelligendum sit, quòd l. 1. Reg. c. 8. à Samuele dicitur: *Hoc erit jus Regis, filios vestros tollet &c. filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & facarias, agros quoque vestros & vineas & oliveta optima tollet, servos etiam vestros & ancillas & juvenes optimos & asinos auferet, vosque eritis ei servi.* Unde inferri potest, feliciores esse subditos alicujus rei publicæ, quàm Principis monarchicè aut despoticè regentis. R. Illatio quidem non mala est, sed tamen etiam sciendum teste D. Thom. l. 3. de

de regim. Principum c. 11. & 1. 2. 2. 105. a. 1. & 2. non agi hîc de jure vero aut justo, sed de injusto & usurpatio, quali solent uti, qui nullis legibus frænari, sed omnia pro libitu suo facere volunt. Ità Gregor. Abul. & alii. Hinc verba illa *predic eis jus Regis* sic intellige, explicæ cæco huic populo Regem poscenti ad morem aliarum nationum, quale jus ad morem aliorum Regum sibi illorum Rex usurpaturus sit, & tales Tyrannos multos habuerunt Israelitæ, quòd autem tyrannicum & usurpatitium non verò legitimum coram Deo jus habeat Rex optima quæque v. g. ex agris & vineis sibi tollendo, manifestè patet ex l. 3. Reg. c. 21. ubi Achabo ob raptam Naboth vineam eumque occisum dicit Elias v. 19. *Hec dicit Dominus, occidisti insuper & possedisti in loco hoc, in quo lincerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* V. plura ibid.

*Judices, Magistratus, Optimates.*

**I**ncrepavi Optimates, & Magistratus, & Potestates, & dixi eis, *usurasne singuli à fratribus vestris exigitis? non est bona res, quam facitis, quare non in timore Dei nostri ambulatis?* 2. Esdr. 5. idem est de nummis, qui sub alio prætectu accipiuntur. Quærenti cur in aliquibus terris magna sit copia Judæorum? reponbat alter, quia Principibus & iis, qui de regimine sunt, hæ gallinæ aurea protrudunt ova, & optimates majores ab iis exigere usuras, detritas

titas auro argentoque tumidas vestes caritatis iis vendere, & denuò ab iis leviori pretio novas aureas argentealque fimbrias sibi comparare possunt. Interim patrocínio Optimatum freti Hebræi artem nôrunt damnum, quod à Potentioribus patiuntur, decuplo resarciendi apud plebem aliosque. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Mich. 6. Noli querere, velle, fieri Index, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates. Ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in equitate tua. Eccli 7. Omnes vos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit sive bonum sive malum. I. Cor. 5. in L.v. ad portas urbis celebrabantur iudicia, ut opus non esset ex agro venienti, qui lite contendebat cum altero, diu per urbem vagari, aut cum damno suo expectare, antequam ei jus diceretur. Superi boni! qualis jam mora trahitur? antequam jus dicatur etiam sæpè in rebus non magni momenti aut indaginis; & antequam id, quod majoris est momenti, & per interlocutoria, instantias, revisiones, restitutiones in integrum, sententias demum definitivas pronuntiatum est, & æquum in omni forma agnitum, tandem executioni detur. Schlendiria aut inveterata praxis neminem coram Deo justificabit, quia præscribi contra jus divinum ac naturale non potest. Aliàs jam à tempore Caini præscripta essent fratricidia ac latrocinia, adeo-*

que situâ culpabili negligentia, & multo magis cooperatione accidit; quod vel uno die injiciatur mora juri dicendo aut exequendo, teneris restituere damnum inde emergens. *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Sap. 9. Non verificetur in vobis illud Is. 1. *Pupilli non judicant, & causa vidua non ingreditur ad illos,*

*Cives.*

**N**ON estis hospites & advena, sed cives Sæptorum, & domestici Dei superadificati super fundamentum Apostolorum ipso summo angulari lapide Christo IESU. Ephes. 5. *Qualis Rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Eccl. 10. *Judas per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat.* 1. Machab. 15. *Bonus Consul, Cives autem ejus oderant illum.* Luc. 19. Parabolam hanc de Rege, qui redux accepto regno rebelles cives interfici jussit, Christus applicavit sibi paulò antè passionem suam, eò quod Synagogam rebellem destructurus esset. Cæterum sæpè non sine causa quis ex primariis odio est civibus.

*Rustici, Agricola.*

**Q**Uæ seminaverit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Gal. 5. *Mitte falcem tuam, & metete, quia venit hora ut metatis.*

itur, quia aruit messis terra. Apoc. 14. Mors cum falce depingitur. Agricola expectat pretiosum fructum terra patienter sustinens, patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra. Jacob. 5. Agricolaë plerumque feliciores sunt Magnatibus. Cùm minores curas ac tædia habeant, saniores sint corpore, animo lætiores, in pulvinari Diaboli sive otio non quiescant, nec tam severas Deo rationes reddendas habeant.

In urbibus, oppidis & pagis habitant §. hoc allati diversi statûs & conditionis homines, sed in his ipsis statibus diversæ iterum sunt professiones scientiarum, opificiorum, aliarumque rerum, quæ varias quoque mentis in Deum elevationes, salubriaque possunt ingerere documenta: itaque de iis agetur §. §. sequentibus.

§. 5tus.

## De variis Scientificis.

*Scientifici in genere.*

**N**on erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, moritur doctus similiter & indoctus. Eccl. 2. Vir sapiens fortis, & vir doctus robustus & validus. Comede fili mel, quia bonum est, sic & doctrina sapientia anima tua. Prov. 24. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Pl. 70. Vox hebraica Sopheroth significat numeros, negotiationes,

220 *Pars secunda de elevatione  
litteras.* Per numeros intelligi possunt iniqui  
calculi iudicum cauponum, mercatorum Per  
negotiationes fraudes intercurrentes. Per litte-  
ras scientiæ. His, si non abuteris, fraudibus  
autem iniquisque calculis cares, & hoc sensu  
litteraturam non cognoscis, cælum erit merces  
tua.

*Scientifici in specie.*

*Grammatici.*

**C**um deberetis esse Magistri propter sempiterna  
(sive ob tot annorum instructiones in semita  
virtutis) rursus indigetis, ut doceamini (ut  
pueri grammatici) qua sint elementa exordii ser-  
monum Dei. Hebr. 5.

O quanta est veterum blasphemia gramma-  
maticorum!

Qui declinandum nos docuere Deum,

*Poëta.*

**C**onfiteamur nomini sancto tuo, & exultemus  
in carminibus. 1. Par. 16. Immisit in os me-  
um canticum novum (sacrum Enthusiasticum  
Poëticum) carmen Deo nostro. Pl. 39. Acetum  
in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Prov.  
25. Sicut enim acetum in nitro, id est, cum  
alumine seu sale [nam salis & nitri, quod &  
sal petrae vocatur, vicina valde natura est, &  
proprietas consimiles] in aures instillatum  
earum sordes & purulentiam expurgat, cinnitus  
sonitusque teste Galeno sanat, ulceribus me-  
detur.



detur, sic qui cantat carmina cordi pessimo; id est, sic vir prudens verbis suis industriè & artificiosè compositis medetur cordi quantumcunque malè affecto, & pessimè constituto. *Quomodo pulchras frustra habes claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum* [quales sunt sordidi Poëtæ] *parabola.* Prov. 26. Sive carmen alias non inelegans. *Os lubricum* (maximè obscœni Poëtæ) *operatur ruinas.* Ibid. Animarum scilicet, quia plurimi adolescentes seducuntur ingeniosis, & simul impuris versibus. Tu Poësin tuam applica ad eorum animas igne sacro accendendas, ut verè dicere possis: *Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.*

## Musici.

**Q**uia & Poëta & Musicus canit, & excellens Poëta ac Musicus obnoxii sunt Enthusiasticis; non videntur ab invicem separandi. Author musices dicitur fuisse Lamechi filius Jubal, unde *to jubulare* quidam derivant, eamque in officina Tubalca in fratris sui primi fabri per diversos sonos ictuum mallei adinvenit. *Gemma carbunculi in ornamento auri, & comparatio Musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus Musicorum in jucundo & moderato vino.* Eccl. 32. Et quam vim non habet musica? cùm in cunis puer vagire incipit: continuò nutriculæ cantantis voce sopitur. Etiam modulatio aliqua rudis in omnibus fermè operibus laborem

allevat. *Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras* teste Virgil. imò certæ nationis milites tormentum famis cantu mitigant. Nec tantum homines delectat musica, sed & irrationabilia animalia. Muli tintinnabulorum sonitu delectantur, & equi tubarum clangore arrecti incertamen ruere ardent. Sed quid in terris habemus, dum de musica loquimur. *Concentum cæli dormire quis faciet?* Job. 38. Concentus, quem motu suo cæli inferiores faciunt, sed vel maximè in cælo empyreo canticum, quod cantant virgines sequentes agnum Apoc. 14. Pertinet ad gaudia accidentalia Beatorum. Quomodo delectet cælestis musica, etiam instrumentalis; expertus est S. Franciscus Seraphicus, cum enim Angelus ad eum mœstum exhilarandum vel semel leviter perstringeret chelyn, rogavit eum Sanctus, ne alterâ id vice faceret; eò quòd aliàs præ nimio cordis jubilo ei halitus intercludendus, & ipse certò moriturus esset. Amor genuinæ musicæ sive harmoniæ signum est prædestinationis. *Tu hanc non impediās musicam.* Eccl. 32. Musicæ peculiaris laus est, quod in templis Dei laudes concinat, & fideles ad Dei servitium excitet. *Laudent nomen ejus in Choro, in tympano & psalterio psallant ei.* Pl. 149. *Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Pl. 148. *Laudate eum in sonitu tubæ, laudate eum in psalterio & cythara, laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, laudate eum in cymbalis jubilationis ( tutti in instrumentis ) Omnis spiritus* ( tutti

(tutti in vocibus) laudet Dominum. Pl. 150. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum novum, benè psallite ei in vociferatione.* Pl. 32. *Confitebor tibi in cythara Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Pl. 32. Optimi Musici sæpè sunt melancolici, *alegro* sæpè etiam nolunt cantare rogati. *Alegro* qui cito dat bis dat. Si excellens Musicus sit singularis & exotici ac pertinacis vel inflati genii, vitium hominis est non artis, nam & in aliis sæpè artibus excellentes non sunt sortiti animam & indolem bonam, in quibus ideo medicriter versati sæpè sunt gratiores & utiliores quàm Magistri in arte. Leopoldus Imperator magnus musices amator instigatus, ut quanto-cyus castratos suos expelli ex aula juberet, eò quòd ipso etiam præsentè interpellati noluis- sent canere, respondit: *Habt Gedult, es seynd nur halbe Männer.*

Tria præcipuè sunt observanda Musicis 1. *in templo*, ut, dum canunt Dei laudes, non ipsi laudari appetant, & pascantur fumo inanis gloriae. 2. *domi*, ut juxta vetus adagium *cantores amant humores*, habitum se ingurgitandi non acquirant. 3. *foris*, & in confortio aliorum, ut non canant scurrilia obscœna, aut Veneris sint mancipia.

Et quia otium est pulvinar Diaboli. Magni Domini habeant Musicos, qui simul in arte alia vel scientia aut servitiis in aula præstandis occu-

pati sint. Nil sanè dolendum magis, quàm si  
 musicus aut cantatrix, quòd aliquoties per an-  
 num canat, accipiat salarium aliquot millium  
 imper. annuum & majus eo, qui pro admini-  
 stratione justitiæ felici, & exacta populorum gu-  
 bernatione noctu diuque laborat. Ubi canta-  
 trix vox est prætereaque nihil, & utinam non  
 sapè aliquid præterea.

*Rhetores, Candidati eloquentia sacra & profana,*

**N**olite multiplicare loqui sublimia gloriantes.  
 1. Reg. 2. Ipse tanquam imbres mittet elo-  
 quia sapientia sua. Eccl. 39. In lingua, sapientia  
 dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in  
 verbo sensati. Eccl. 4. Boni scilicet Oratoris &  
 Concionatoris. Mors & vita in manibus lingue.  
 Prov. 18. eloquentis Oratoris; qui populum  
 & ad vitam & ad mortem æternam potest per-  
 ducere. *Circumvenimini vento doctrina.* Ephes.  
 4. Erit tempus, cum sanam doctrinam non susti-  
 nebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi  
 Magistros (Lutherum ejusque asseclas, novum  
 Evangelium, quod v. g. sola fides justificet, &c.  
 protrudentes) prurientes auribus, & à veritate  
 quidem auditum avertent, ad fabulas autem con-  
 vertentur. 2. Tim. 4. Sic & plebs attrahitur lu-  
 dicris narratiunculis, quæ tamen Majestatem  
 verbi divini prorsus dehonoraunt. *Habentes do-  
 nationes secundum gratiam, qua data est nobis,  
 sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in ex-  
 hortando, odientes malum, adherentes bono.*  
 Rom.

Rom. 12. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum. Matth. 5.*

*Philosophi.*

**G**entiles Philosophi cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Propter quod tradidit illos in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliâ afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Rom. 1. Idem contigit viris doctis nimium scientiâ suâ inflatis, & postmodum à religione & ordine apostatis. *Dic sapientie soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, ut custodiant te à muliere extranea, & ab aliena, que verba sua dulcia facit.* Prov. 7. Nam sine castitate vana est professio sapientiæ, sicut & sine humilitate, quia scientia inflat 1. Cor. 8. *mundum tradidit disputationi eorum* (Philosophorum arcana naturæ perscrutantium) *ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Eccl. 3, & quomodo hæc inveniet Philosophus, qui ex una ala muscæ, an constet partibus infinitum divisibilibus, ex indole seu essentia materiæ primæ, quantitatis, substantiæ, prout ab accidentibus contradistinctæ &c. non potest se extricare, & quò plus in scientia naturali proficit, eò minus se scire animadvertit novas semper inveniens difficultates. *Si quis se existi-*

mat scire; aliquid nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire. 1. Cor. 8. Hinc Salomon, qui ex Philosophia sua naturali sive Physica disputavit super lignis à cedro usque ad hyssopum, qua egreditur de pariete, & disseruit de jumentis & volucris, & reptilibus, & piscibus. 1. 3. Reg. c. 4. Hic inquam Salomon ita loquitur Eccles. 1. *Proposui in animo meo querere, & investigare sapienter de omnibus, que sunt sub sole. Hanc occupationem pessimam [difficilem, laboriosam, & quæ non fatiat] dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Item ibid. Dedi cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam, & agnovi, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eò quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem. Quod multa sæpè sit indignatio, advertere potes; dum in æstu disputationum sunt Philosophi aliqui; oppugnant, propugnant, & ita clamant; ut unus alterum præveniat, nec se invicem propriè intelligant. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat & confusione dignum. Prov. 18. Interim sapientiam omnium NB. antiquiorum exquiret sapiens. Eccl. 39. Philosophus, & ad novitates non inclinabit; quia & hæc, ad declinandas difficultates v. g. de materia prima formis substantialibus accidentibus absolutis modalibus, quantitate, &c. occurrentes inventæ, & solidè examinatæ deprehenduntur pluribus esse difficultatibus obnoxia, imò sæpè periculosa in fide. Et tu ne despicias [novita-*

vitates sectando] narrationem Prasbyterorum  
[sive Seniorum] & sapientium, & in proverbii  
eorum conversare. Ab ipsis enim discas sapien-  
tiam, & doctrinam intellectus, & servare Mag-  
natis sine querela. Eccl. 8. Omnis doctrinæ, in-  
tellectus certè basis & fundamentum est genui-  
na Philosophia. Sed nec genuinus est Philoso-  
phus, nec in quocunque demum scibili benè  
fundatus. Si teneas cum Academicis pro &  
contra disputantibus sine certa aliqua resolutio-  
ne. Vel cum Scepticis putantibus impossibile  
esse, ut pro certo quid affirmetur. Vel cum  
Scotinis sive tenebrosis in suis conceptibus. Vel  
cum Cynicis sive caninis ob mordacem linguam  
ità cognominatis.

*Medici.*

**M**edice cura te ipsum. Luc. 4. Amicus fide-  
lis medicamentum vita & immortalitatis.  
Eccl. 6. Altissimus creavit de terra medicamen-  
ta, & vir prudens non abhorrebit illa, ad agni-  
tionem hominum virtus illorum. In his curans  
mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pig-  
menta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis.  
Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed  
ora Dominum, & ipse curabit te, da locum Me-  
dico [morem gere ipsius præscriptionibus]  
Etenim illum Dominus creavit, & non discedat à  
te, quia opera eius sunt necessaria. Honora Me-  
dicum propter necessitatem, à Deo est omnis me-  
dela, qui delinquit in conspectu eius, qui fecit  
K 6 eum,

*cum, incidet in manus Medici, Eccl. 38. Sic morbi sæpè immittuntur in pœnam peccati. Omnis Potentatus brevis vita, languor prolixior gravat Medicum, brevem languorem præcedit Medicus. Eccl. 10. Febriculam curare potest plerumque, sed nisi valdè excellens sit; & reapse expertissimus, non curabit graviores morbos. Egrotavit Asa dolore pedum vehementissimo (in Hebræo & Græco additur) usque ad supra, nempe ad caput. Dum enim podagricus humor caput impetit, dolorem ciet vehementissimum, & mortem accelerat) & nos in infirmitate sua quæsit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est. 2. Par. 16. Stultus hic erat podagricus. Unica enim in tali morbo salutaris medicina est refugium ad Deum, cum plena in sanctissimam ejus voluntatem resignatione, & ferrea patientia. Et si habeat sine sua culpa ex frigore vel sanguine hæreditario, & multò magis, si propria sua culpa ex Bacho, Venere vel ira habeat. Poëta in solatium tale quale ei, cui vinum immoderatè sumptum delicatam hunc accersivit hospitem, sic accinit:*

*Per quod quis peccat, per idem punitur & ipse,*

*Ast est in membris versus hic ordo tuus,  
Gustus peccavit, tactus punitur acerbè  
Humida deliquit lingua pesque luit.  
Ceu si delirant Reges plectuntur achivi  
Delictum capitis subdita membra launt*



*Mulier quadam in Medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari. Luc. 8. Attractu vestimenti Christi curata est. Hanc fiduciam imitare in infirmitate tua, dum in ea ipso corpore JESU Christi cibaris. Lucas Medicus carissimus Coloss. 4. hunc cum sanctis aliis Medicis Cosma Damiano in compatronum elige. Cæterum ille Medicus mihi carissimus est, qui tentata obiter arteria non mox præscribit aliquid, & si unum non juvet, mox præscribit alia, ut intra breve tempus plurima vitrea vascula cubiculum ægroti exornent. Sed qui theorix cum primis ex fundamento gnarus dein experientia non vulgari expertissimi titulum meritis cautè & providè procedit, temperamentum ægri, originem, occasionem morbi, &c. perferutatur, & sæpè ac diu ei assidens symptomata omnia observat. Talis non tam crebrò cœmiteria pinguefacit diversus ab eo, de quo Martialis canit:*

*Nuper erat Medicus, nunc est Vespillo Diaulus,  
Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.*

*Hypocrates inde maximam medicinæ scientiam acquisivit, quòd remedia selegerit, quæ ex usu tunc temporis adnotata erant in tabellis, in templis Deorum tutelarium pendentibus. In iis enim homines remedia, quibus ab hoc illove morbo curati fuerant, solebant accuratè describere. Fatale ægro est consilium Medicum teste Plinio: Dum misera sunt sententiarum concertationes nullo idem consente. Hinc illa infelicis monumenti Cæsarea inscriptio turbâ Medicorum perii.*

## Apothecarii, Chirurghi.

SAlubrem de miseria hominis reflexionem facies, si in Apothecis tot videas vascula amoret sanitatis sumenda licet naturæ adversantia. De quibus præter ea sæpè cum veritate dici potest *mors in olla*, & in cubiculis Chirurgorum tot instrumenta, quibus brachia, pedes hominis refecantur, vel in parte hac illa corporis fit apertura ad eximendum è vesica lapidem, vel ipsum hominis cranium aperitur. Essent plures in urbibus periti Chirurghi, si externi sine magnis expensis ob artis suæ excellentiam tribui incorporarentur, & Chirurgorum in urbibus filii parentibus succedentes, non contenti, quòd barbam radere possint, per multos annos in castris vel magnis hospitalibus in arte sua se præviè excoluissent.

## Jurista, Advocati.

Tot Sanctos non numerant, quot Medici, sed omnes *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum* 1. Joan. 2. Cave ne ex Advocato fiat tibi Judex irreconciliabilis. *Ubi est corpus [Juris] ibi congregantur & aquila.* Matth. 24. ingeniorum. Nolim joculari cum viris gravibus trito illo *S. Ivo Advocatus & non latro, ô res stupenda!* sed oro Deum denuò, ut à Principibus ac Magistratibus *genuini legum Sacerdotes* seligantur, iisque de tali provideatur  
sala-

salario, ut honestè juxta statum suum vivere, & suis quoque prolibus providere possint. Pudendum sanè est, quòd Morioni adulatori aut rebus vanis, nè dicam malis tam multa impendantur millia ab exhaustis ad sanguinem usque subditis provenientia, & non dentur convenientia legum administris, ex quorum studiis ac laboribus regna & ditiones feliciter gubernari debent stipendia.

Pudendum etiam & dolendum est, si Juristæ, Advocati, Judices maligni dentur, de quibus dicitur II, 24. *Terra infecta est, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, nempe mutægra cum murva* (lege retrogradè) *faciunt rectissima curva. Dextera eorum repleta est muneribus. Pl. 25.* Et hinc sinistra judicia. *Injustitias manus vestre concinnant, in corde iniquitates operamini. Pl. 57.* Dum assumitis causas non fundatas, & vanitæ ac ingenio vestro adversarium à puncto principali dextrè abducitis. *Filiis vestris mandate, ut faciant justitias & eleemosynas. Tob. 14.* Et sic eritis de familiis benedictis à Domino. *Nam propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam deducet te mirabiliter dextera tua. Pl. 44.* Qua componis acta vel scribis sententiam: *Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore. Pl. 105.* Sine respectu humano & erga omnes æqualiter. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, (aliis administrandam primo quoquo tempore, non differendam, ut eò magis exhauriantur bursæ clientum) quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5.* Temporalis etiam be-  
diti-

nedictione. Sæpè Advocatus lucri causa assumit causas clientum, quas benè agnoscit non esse fundatas. Ille tamen, qui nomen habet, quòd non assumat causas nisi benè fundatas, & in dubiis conetur partes componere, plus illo lucrabitur, & semper plures clientes accipiet. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Melius est nomen bonum quàm divitiæ multa. Super aurum & argentum gratia bona.* Prov. 22. Sive benevolentia Dei ac honestorum hominum.

Sunt qui carpunt Germanos, quòd præ aliis nationibus plerumque filios suos non tantùm applicent studiis inferioribus, sed & Juristas ac Doctores ex iis facere velint. Meum non est, sed illorum theses desuper defendere. Hoc tamen puto, quòd multas inutiliter pecunias profundant parentes pro filiis suis in studio juridico, si ingenio non excellent. Nam ex hujus defectu vel postmodum omnes nummi in casum dilapidati sunt, vel si indocti ob nervum, quem habent, ad officia honorifica, in quibus exacta juris notitia requiritur, promoveantur: id nocet communi bono & privato, ut supra memini.

*Theologi.*

*Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile estimamus, quæ in terra sunt (investigare v. g. naturas rerum, materiam, for-*

formas) & qua in prospectu sunt, invenimus cum labore. Qua autem in calis sunt (Fides ac Theologia nos docet circa SS. Trinitatem, Incarnationem Verbi, concordiam libertatis humanæ cum efficacia gratiæ, Prædestinationem, &c.) Quis investigabit? sensum autem tuum (de his, & aliis Theologicis quæstionibus) quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis, Sap. 19. Quis hominum poterit scire consilium Dei [hæc illa ut infallibilia media ordinantis] aut quis poterit cogitare quid velit Deus. Ibid. Sive qualia ejus decreta sint circa prædestinationem, & quid sint præter Deum decreta ejus libera. O altitudo divinarum sapientia & scientia Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Rom. 11. Interim fundatus est Theologus, qui in difficillimis quæstionibus scit versutias sermonum [à statu quæstionis abducentes vel Hæreticorum sophismata] & dissolutiones argumentorum. Sap. 8. In quibus cardo rei vertitur, & maximæ sunt difficultates, & sic loquitur cum pondere & mensura: Magnus qui hanc invenit sapientiam & scientiam (maximè dum) timor Dei super omnia se superposuit. Eccl. 25. Et juxta illud Eccl. 32. Noli extolli in sapientia tua. Est humilis, servatque illud Rom. 12. Non plus sapere, quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem, sive ad fundamenta fidei solidiùs adstruenda. Talium Theologorum studium fundamentum est Ecclesiæ. Et hinc id  
adeo

adeo abominantur Hæretici ; quî, quàm diu id floret, non possunt fidei Catholicæ fundamenta succutere. Catholici, à quorum crisi etiam libera non est Theologia Scholastica, vel sunt indocti & horum crisis æstimanda non est, nam ars quævis aut scientia non habet contemptores sui, nisi ignorantes. Vel sunt docti, & si hi procedant solidè, bonumque purè communitè quærant, non laudabunt integra impleri folia, & plurimum insummi temporis inutilibus speculationibus, vel etiam captari novitates. Sed juvenili ardore decocto & jam per multos annos exercitati optabunt plus insummi temporis in questionibus utilioribus benè enodandis ex D. Thoma aliisque probatis autoribus. Idem etiam viri sentiunt plus debere impendi temporis in refutandis erroribus Sectariorum nostri temporis v. g. de gratia, libertate hominis, &c. quam veteribus jam plerumque obsoletis. Dein cum ad Parochias aliaque Ecclesiastica munia promovendi bonum debeant habere fundamentum in Theologia morali Polemica jure Canonico & S. Scripturæ scientiâ, optant omnes bono communi intenti ; ut hæc omnia ita tradantur, ut intra triennium v. g. diligens discipulus saltem tale in iis fundamentum ponere poterit, ut se ipsum postea studio impigrè continuato ulterius perficere valeat. Superi boni ! ars longa vita brevis, & tamen aliqui studia ista ita tractant, ut intra viginti annos nequidem unum illorum finem imponerent. Et qualem tunc Discipuli habebunt fructum ex studio v. g. bienniali  
 scient

scient aliquid de una v. g. materia, titulo, libro, & ex cæteris nihil.

Demum omnes ingenui & pacis amatores unicè optant; ut in sententiarum de rebus, in quibus partem in utramque opinari licet, discrepantiâ optata semper maneat religiosos maximè inter viros animorum concordia. Et ut, cum ingenii exercendi causâ æstus disputationum fervet, quilibet adversæ partis fundamenta solidè conetur perscrutari, atque sic ex disputatione redire doctior, imò & capacior ad hostes Ecclesiæ debellandos in quacunque demum materia. Eò autem non devenitur, dum sub obscuris terminorum quasi sesqui pedalium involucris propugnantur, oppugnantur theses, inter clamores acutiorum jaciuntur verborum spicula, nec ad proximiorum veritatis agnitionem via sternitur. Sed quisque in suâ, vel ab aliis sibi impressâ sententiâ animum obfirmavit: sive adversæ partis fundamenta penetraret, aut elidere valeat, sive non. Jansenius scribens de gratia, dum fidelis ejus Collega du Vergier ad S. Cyrianum Abbas tractatum de Sacramentis elucubrabat, in quadam ad eum epistola, nil optat magis, quàm ut in Ordine aliquo Religioso schola quædam sua amplecteretur placita. Sic enim eâ immortalitate donatum iri non dubitabat, ut tot aliis miris sententiis hæc felicitas obtigit. Sed laus Deo, licet, ut ex interceptis patuit litteris, gloriati sint Jansenistæ multos Augustini discipulos (hunc honoris titulum sibi arrogant) sub Monachali latitare cucullo, eò  
non

non pervenit res, ut ordo aliquis religiosus Jansenii placita suæ scholæ adjungeret. Ergo hâc spe delusi, larvati Augustini discipuli conscriptis de gratiâ victrice, eoque pertinentibus libellis florido ac elegante stylo gallico curiosum muliebrem sexum castris suis adscribere alaborârunt, in quo heroinas invenêre, quæ cum viris pariter famosis caverunt, ne Jansenii Augustinus de gratia oblivionis sepulcro conderetur.

## §. 6tus.

*Diversa professiones hominum circa mercaturam, opificia, eorum objecta & instrumenta.*

*Mercatores.*

*Simile est regnum calorum homini negotiatori, Matth. 13. Negotiamini, dum venio. Luc. 19. Si nundinarum dies præterit, sive tempus à Deo statutum, nil pro cælo ampliùs emendum, aut vendendum restat. An nescitis? quoniam non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. I. Cor. 6. Omnes, quæ sua sunt (lucrum interelle) quarunt: non quæ? ESU Christi. Philip. 2. Radix omnium malorum cupiditas. I. Tim. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur (etiam negotiatione cum honesto lucro) his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in multa desideria inutilia & nociva (v. g. alios decipiendi, quæstum ex usura faciendi) quæ mergunt homi-*



homines in interitum & perditionem. 1. Tim. 6. Vani filii hominum. Mendaces filii hominum in stateris. Pl. 61. Statera dolosa abominatio est apud Dominum, & pondus aequum voluntas ejus. Prov. 11. Estimaverunt lusum vitam nostram, & conversationem vita compositam ad lucrum, & oportere undecunque etiam ex malo acquirere, Sap. 15. Implete & vos mensuram patrum vestrorum. Matth. 23. Quam mensuram mensi fueritis, remetietur vobis. Matth. 7. Marc. 4. Qui dicitis hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Qui ignoratis, quid erit in crastino. Pro eo ut dicatis, si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Jac. 5. Nervus Reipublicæ flos est mercaturæ, & quoad similia introducenda, cum non omnia ferat omnia tellus, & quælibet sua habeat; deberent laborare fideles Ministri Principum. Si minus sæpè exigeretur ex mercibus, plus per annum inferretur in commune ærarium ob copiam, quæ afflueret mercium. Mercaturæ in iis terris impetitur jugulum, in quibus ob potentiam Magnatum aut Nobilium Mercatori non licet liberè & impunè exigere debita. Sed hæc alterius sunt indaginis. Tu cogita, quid pro cælo facias, dum mercator tranat maria, noctu diuque cum summa defatigatione & frequenti vitæ periculo terras peragrat pro pecunia.

*Opifices in genere.*

**E** Ccl. 38. enumerantur varii Opifices operi suo perficiendo insudantes. Ostenditur eorum

eorum necessitas pro communi bono ; & ex hoc felices deprædicantur ; quòd [ licet doctrinà & dignitate non emineant ; inter labores tamen suos animum in Deum elevent. *Accommodantes animam suam* ( sive ejus curam gerentes ) *& conquirentes in lege altissimi.* Adeoque multis doctis & magnis viris feliciores sint. Inter Opifices non dedignatus est numerari gentium Doctor. Artis enim erat scenofactoriæ Act. Apost. 18. & hanc eo fine exercuit , ut necesse non esset victum sibi ab aliis administrari. *Ad ea , qua mihi opus erant , ministraverunt manus istæ.* *Omnia ostendi vobis : quoniam sic laborantes oportet , meminisse verbi Domini IESU ; quoniam ipse dixit , beatius est magis dare , quàm accipere.* Act. 20. Ecce exemplar viri Apostolici. Suarez Tom. 4. de Relig. Tr. 10. occasione hæc ostendit differentiam inter religiosos fructificantes apud proximum , ac fidelium ob religiosa aut Apostolica ministeria muneribus ac elemosynis viventes juxta illud : *dignus est operarius mercede suâ ; & qui servit Altari , de Altari vivat ;* & inter illos , qui vi instituti sui similia admittere non possunt. Vide sis , ne re ipsâ aliquid præter Deum & salutem proximi quæras. Principes & Magistratus rem Deo gratam & reipublicæ utilissimam faciunt ; qui promiscuè pueros ac juvenes mendicos per plateas non tolerant , sed in publica ædificia , in quibus ob labores varios , victum , vestitum , nummosque labore manuum suarum sibi comparare possunt , compingunt. Sic turpis inverecundia

dia & otium eliminatur, & opificia, indeque varia proveniens negotiatio incrementum capiunt. Nec ditioribus in iis pauperibus (qui vel præsenio aut infirmitate laborare non possunt, vel præ verecundia emendicare erubescunt, & per adversa ad pauperiem redacti sunt) materia dederit cælum pijs eleëmofynis emendi.

*Faber.*

**Q**uis formavit Deum? & sculptile conflagavit ad nihil utile? Faber ferrarius limâ operatus est. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina [idolum scilicet] Memento horum Jacob & Israel, formavite, ne obliviscaris mei. Il. 44. Applica tibi, qui ob creaturam, quam perditè amas, offendis Deum Creatorem tuum. Nonne hic est Fabri-filius? Matth. 13. Sic Christus videri voluit abjectæ conditionis. Et quos tu fumos habes? ut vel te tuorum inferioris fortunæ pudeat; vel ob eos altiùs elevatos infleris.

*Figulus, Textor.*

**P**recisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordiret, succidit me, de mane usque ad vesperam finies me. Il. 38. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Pl. 2. Nunquid dicit figmentum ei, qui se sinxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem.

*Pars secunda de elevatione rem, aliud verò in contumeliam? Rom. 8. Deus in multa patientia sustinuit vasa ire apta in interitum; ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriæ. Ibid. Ex magnis scilicet peccatoribus magnos faciendos Sanctos.*

*Sutorum, Sartorum objecta.*

*Solve calceamentum de pedibus tuis ( terrenos affectus ) Locus enim [ templum ordo religiosus ] in quo stas, terra sancta est. Exod. 3. Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta. Luc. 10. Superflua viro Apostolico resecanda. Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis. Act. 10. Taliter posse loqui gloriosum est viro Apostolico, etiam justitiæ Ministris. Quomodo huc intrasti ( ad Sacrum, Communionem, Oratorium ) non habens vestem nuptialem. Matth. 22. Gratia sanctificantis. Proferte stolam primam, & induite illum. & date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus. Luc. 15. Filius prodigus symbolum peccatoris in gratiam recepti. Ipsi peribunt [ cæli ] tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut oportorium mutabis eos. Pl. 101. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tineâ. Job. 13. Quis est iste? qui venit tinctis vestibus de Bofra? quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium*

*tinum in torculari? torcular calcavi solus. Il. 63.*  
Christus flagellatus, crucifixus, totus sanguine suo per torcular passionis inundatus. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Matth. 27. Tunica inconsutilis symbolum veræ Ecclesiæ non ferentis scissionem in unitate fidei & morum. Christus apparuit veste discissâ, & hoc Arium fecisse dixit, sicut & ex post alii id fecerunt Hæretici fidelibus interim (veram Ecclesiam constituentibus) in unione permanentibus, ubi mira elucet Dei providentia; quòd, dum una ditio deficit, alia ad veram fidem accedat. Sic deficiente Germaniâ, Angliâ &c. gentiles in utraque India veram fidem ex gentilismo amplexi sunt. O felix tempus! quando erit unum ovile & unus Pastor. Intincta tunica Joseph in sanguine hædi figura est tunicæ Christi sanguine ejus proprio imbutæ. Interim magnus pro textoribus & sartoribus honor, quòd Christus tunicam habuerit inconsutilem, quæ indivisa mansit sub Cruce, eamque Beatissima Virgo dicatur adaptasse.

*Ad pistrinam spectantia.*

**M**odicum fermentum totam massam corrumpit. ad Gal. 5. Exigua passio, minùs defæcata intentio corrumpit meritum, & unus malus multos bonos. *Comedit panem (subcinericium) & ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus usque ad montem Dei Horeb.*

*Horeb. 3. Reg. 19. Applicata ad panem Eucharisticum usque ad transitum in æternitatem nos confortantem. Ego sum panis vite, qui venit ad me, non esuriet, Joan. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ibid. Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. Luc. 14. Lazarus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, portatus ab Angelis in sinum Abrahæ, dives sepultus in inferno. Luc. 10.*

*Cocorum labores præcipui ut prandia Coena conviviam.*

**N**on potestis mensæ Domini participes fieri, & mensæ Demoniorum. 1. Cor. 10. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Pl. 22. Hoc æger viaticum accipiens cogitet. Dispono vobis, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Luc. 22. Daniel serve Dei tolle prandium, quod misit tibi Deus. Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Dan. 14. Beati, qui ad Cœnam Nuptiarum Agni vocati sunt. Apoc. 19. Conveniunt vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. 1. Cor. 11. Agape olim vocabantur conviviam Christianorum, in quibus pauperes ditiorum ære simul cibabantur, & Episcopi habebant semper hospites, advenas, pauperes. Vidi Anno 1737. Romæ in Sacello S. Gregorij, & ejusdem nominis Abbatiam mensam lapideam, in qua hic Sanctus indies pascebat.

bat duodecim pauperes, mensæ incisum erat distichon sequens:

*Bis senos hic Gregorius pascebat egenos,  
Angelus & decimus tertius accubuit.*

Si pateris, ut Angelus sit decimus tertius conviva non homo mortalis, vana superstitione duceris; quòd intra annum unus ex tali numero moriturus sit. An non faciliùs moreretur aliquis? aut etiam Judas inter illos esset? si v. g. convivæ essent viginti. Utinam magis practicè crederetur Evangelio, quàm superstitiosis ejusmodi placitis. *Cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cacos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Luc. 14. Quando scilicet dicitur: *Esurivi, & dedisti mihi manducare, &c.* Matth. 25. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.* Excusârunt se invitati tum ob ductam uxorem, tum ob villam, & boves emptos, & repræsentant negligentes cælum ob temporalia. Et hinc asseverat Christus, *dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* Luc. 14. *Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.* Ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Luc. 22. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno calorum. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. Væ damnandis Christianis, Religiosis, Sacerdotibus,

*Fecit grande convivium cunctis Principibus.  
Vinum quoque magnificentia Regia dignum erat*  
L 2 *abun-*

244. *Pars secunda de elevatione  
abundans. Et praeipuum ponebatur. Nec erat,  
qui NB. nolentes cogere ad bibendum. Esth. 1.  
Et hinc etiam non sunt ortae rixae. Ubi aliàs,  
dum studetur calicibus epotandis. Prov. 23. Ver-  
tus verificatur adagium: Septem convivium, no-  
vem convitium. Convivium teste Tullio est quaedam  
conjunctio vitarum. Sed saepe convivium habet  
vitam in nomine, mortem in omine. Hinc S.  
Ambros. Lib. de Elia ait: Vocatis ut amicos, di-  
mittitis ut inimicos. Quanto melius in terram tua  
vina fudisses. Quid te delectant damna sine gra-  
tia? rogans ad iucunditatem cogis ad mortem.  
In quovis convivio convivantes assimilantur al-  
phabero, aliqui enim sunt vocales, qui lo-  
quuntur, aliqui consonantes, qui sua addunt,  
alii mutae, qui tacent, alii liquidae, qui im-  
pigrè bibunt, & alios loqui sinunt. Facetè si-  
gebat aliquis esse tres sedes in capite hominis,  
& quatuor stultos in stomacho, qui pederentim,  
& quò magis protrahitur haustus, in caput  
ascendunt. Primus est serius & gravis, qui ex  
tribus sedibus unam occupat. Secundus est com-  
plimentosus & hilaris, qui post aliquot com-  
plimenta facietias & sales & ipse sedem occupat,  
tertius est disputator, & ut ostendat doctrinam  
suam, negat, probat, demonstrat, &c. & tan-  
dem fessus in tertia se sede collocat. Tandem  
protracto ulterius potu quartus stultus scilicet  
rixosus in caput ascendit. Et cum aequè præ-  
terdat sedem ac alii tres, & hi suas ei cedere no-  
lunt, oriuntur rixae, sedes cum stultis agitantur,  
levantur, deprimuntur, &c. & est plena confu-  
sio in cerebello.*



Geta Imperator apposuit integrum alphabettum ferculorum, erat tunc facilè fieri litteratum, cum litteræ devorarentur. Scribitur in ejusmodi litterarum tyrociniò in charta bibula & maculatoria juxta illud in Ep. Judæ v. 12. & 13. *Hi sunt in epulis suis macule convivantes sine timore* [ vel reverentiâ erga Deum & homines ] *semetipfos pascentes, despumantes suas confusiones physicè & moraliter. Corpus crapula, mentem libidine, convivas obscœnis verbis & aspectibus aut pestiferis principiis inficientes. Honestasint casta & frugalia convivia tua cum amicis Deum timentibus, ut Patriarcharum olim fuerunt; excessus in iis sicut culpandus est, ita & defectus, si instigeris ab avaritia. Et in hunc sensum dicitur Eccl. 2. Quid proderit homini de universo labore suo. Cuncti dies ejus arumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere anima sua bona de laboribus suis, & hoc de manu Dei?*

*Variis quibus Coci nutuntur ad parandos cibos.*

*Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labius exultationis laudabit os meum. Ps. 67. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Ps. 72. Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Il. 7. Id est, nutrietur Salvator ad ostendendum, quòd verum corpus humanum assumpserit, cibus infantilibus, ita ut per experimentalem scientiam gustu nôrit discernere cibos*

bos bonos, & palato gratos ab ingratis & malis, item res alias bonas crescente ætate sciat distinguere à malis. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est.* Ps. 22. V. g. in epulo Eucharistico. *Pones eos in clibanum ignis in tempore vultus tui* ( eos condemnantis ) *Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Ps. 20. Scilicet sicut ligna in accenso clibano. *In igne probatur aurum & argentum, homines verò ( in cælum ) receptibiles in camino humiliationis.* Eccl. 2. Quia hæc est moneta in & pro cælo valens. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congregabis super caput ejus* ( Quanquam tale malum ei imprecari non debeas, sed etiam affectu vincere in bono malum ) *noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Rom. 12.

*Instrumenta Coquorum.*

*Cultri, fascinula, lebetes, olla.*

**F**ac tibi cultras lapideas ( cote acutos, non enim necesse erat semper adhiberi lapideos ) & circumcide secundo filios Israel. Jos. 5. Id est, instaura morem circumcidendi semper continuatum usque ad exitum ex Ægypto. Et hinc ad primum ingressum terræ promissæ voluit Deus necdum circumcisos circumcidi. Sic moraliter circumcidi debet quoad passiones & affectiones malas ex sæculo ingrediens religionem, sacros

facros suscipiens ordines, & si quid post novitatum expletum mali expositi germinis propulavit; circumcidendum secundò in 3tiæ prob. anno. Prophetæ Baal *incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis.* 3. Reg. 18. ut scilicet Baal eos exaudiret. Similia in honorem Mahomet & Idolorum à sacrificulis adhuc fiunt. Et quid tu facis pro vero Deo ejusque gloriâ delicate Christiane religiose? *Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposta sunt (ne in crapulam te impellant) & statue cultrum in gutture tuo.* Prov. 23. Hoc est, refræna linguam, restringe gulam quasi cultero gutturi apposto, quo juguleris, nisi caveris, ne aliquid per imprudentiam aut loquaris aut agas, quod tibi vel aliis periculum creet. *Filii Heli, filii Belial nescientes officium Sacerdotum ad populum. Quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & optima quæque tollebat Sacerdos sibi.* Non incenso juxta morem, sed vi rapto adipe. 1. Reg. 1. Sic verè etiamnum nesciunt officium Sacerdotum ad populum, qui quò potentiores ac in majoribus præ aliis constituti sunt, eò subiniquiores vi Deo & subditis debita rapiunt, de pinguedine terræ incrassantur, & de rore cæli inebriantur. *Juda Rex meus [Christus ex tribu Juda] Moab lebes spei meæ.* Pl. 107. Moabitarum regio fertilissima, è qua velut olla plena multum sperandum. *In terra Egypti sedebamus super ollas carnis.* Exod. 16. Ità loquitur

inquietus tepidus religiosus, cui præ manna  
caelestium consolationum & gratiarum, quòd  
fastidire incipit, placet prior in sæculo libertas  
aut spurca voluptas. *Mors in olla vir Dei.* 4.  
Reg. 4. Amaritiem sustulit Elisæus injectâ faci-  
nâ, non vi farinæ naturali, sed supernaturali  
inditâ. S. Hostia devotè sumpta tollit amari-  
tiem cordis. *Ollam succensam ego video, & fa-  
ciem ejus à facie Aquilonis.* Jerem. 1. Scilicet  
malum veniens à Babylone, & evomens ignem  
in Judæam & vicina regna. Tales ollæ in pœ-  
nam peccatorum sunt hostiles exercitus sive ab  
Aquilone sive septentrione, aut alio de loco  
veniant. O quot ollæ succensæ in inferno!  
*Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus  
stulti.* Eccl. 7. Sicut enim spinæ tantùm crepant  
fumum non diuturnam flammam submini-  
strant, nec carnes coquunt. Sic risus stultæ  
sive adulatoris nil boni efficit.

Cùm de instrumentis, quibus coquuntur ci-  
bi, ipsisque esculentis hætenus hîc sermo fue-  
rit, incidenter quoque agendum breviter de  
controversia, quam habemus cum Sectariis ra-  
tione ciborum certis diebus aut temporibus ab  
Ecclesia prohibitorum.

### Sublectio sexta.

*De diebus jejunii, abstinentia, Quadragesima, &c.*

1mò. **F**alsum est esse tantùm præceptum ho-  
minum abstinendi à certis cibis. Nam  
Gen.